


LUCERNAE FICTILES MUSEI PASSERII.

VOLUMEN SECUNDUM.




Io. Bapt. Passerius del. V. F. S.

SUMTIBUS
ACADEMIAE PISAURENSIS.

PISAURI; M. DCC. XLIII.
IN AEDIBUS GAVELLIIS
SUPERIORUM PERMISSU.





I. Menabuanj del- V.F. scu.

FRIDERICO
LANTIO DE RUVERE V. P.
ARCHIEPISCOPO PETRENSI
METAURENSIS PROVINCIAE
PRAESIDI

ACADEMIA PISAURENSIS.



IMD. VFS

Erte ſerius quam oportuit, quamque in votis erat, prodit Academiae noſtrae ſumtibus Lucernarum Muſei Paſſerii volumen al-

terum. Etenim egregia Tua in nos, atque universam rempublicam merita postularent, ut quotannis ferme singula volumina propterea edenda essent, ut si quantam debemus referre neutiquam possumus, habere tamen gratiam TIBI nos quantam maximam animi nostri capere queunt, annuo hoc testimonio profiteremur. Verum non eadem in nobis facultas hoc, quantulumcumque est, observantiae nostrae argumentum exhibendi, quae TIBI prompta & expedita fuit maxima quaeque nobis praestandi. Artificum solitae morae, Typographi onera, quibus pridem se obligaverat, novum sacri juris dicundi munus, quo Passerius ipse auctus est; omnia deni-

que

que ſimul conſpirare viſa ſunt, ut voluminis editio differretur quotidie, ac procraſtinaretur. Contra quantus TIBI, *& quam praeclarus datus eſt campus, in quo ſingularis tua, atque eximia virtus excurrere, libereque ſpatiari poſſet? Longum profecto eſſet, & fortaſſe non neceſſarium,* TIBI *certe, quae tua moderatio eſt, grave & moleſtum, commemorare laetos, uberrimoſque fructus, quos ex Tuis laboribus, vigiliiſque percepimus. Enimvero quis eſt adeo hujus Urbis hoſpes, adeo Italicarum rerum ignarus, ut neſciat, difficillimo tempore non ſolum Piſaurenſem, ſed & totius Metaurenſis Provinciae rempublicam Tua potiſſimum providentia ſtetiſ-*

tiſſe ? Pervulgata enim res eſt , atque omnium ſermone celebrata , TE ſplendidiſſimorum Ordinum animos repentino tantarum copiarum adventu perculſos , atque abjectos auctoritate & exemplo confirmaſſe , atque erexiſſe ; in ſumma pabuli inopia , ea Piſaurenſis agri conditio eſt , magno equitatui , maximiſque ſarcinariorum jumentorum gregibus , ſupportato undique commeatu , ſapienter proſpexiſſe ; annonam ob aſſiduas ſterilitates ſolito cariorem , magna frumenti vi ex Piceno reipublicae ſumtibus advecta , ita tua vigilantia levaſſe , ut nemo eam ob cauſsam duplicatum fuiſse populi numerum intelligeret : TE denique in omnia intentum , om-

nia


nia praecaventem populos fidei Tuae commiſsos virtute, aſſiduitate, conſilio ſummis periculis liberaſse. Quid vero? anne minus nota cenſenda ſunt, quae geſſiſti, antequam bellici apparatus honeſtum Italiae otium perturbarent? TU ex aere multaticio Viatorum commodo conſulens ad S. Claudii rivum, qua Faneſter Piſaurenſi agro adjungitur, pontem in uſum curſus publici exſtrui, alterum item pontem ad Aſſium vetuſtate corruptum, miſerorumque agricolarum mortibus infamem reſtitui, aptarique juſſiſti. TU ex eodem aere Metaurenſium Principum Regiam abhinc annos centum pene neglectam in priſtinam faciem tam ſtudioſe diligenterque revocaſti, ut ſi

FRAN-

FRANCISCUS MARIA I. aut GUIDO UBALDUS II. reviviſcerent, vel ex hoc uno intelligerent RUVEREUM adhuc genus durare, TIBIque una cum ſanguine auguſtae illorum ſedis caritatem pene hereditario jure obveniſſe.; quod quidem, ut maxime advenarum, peregrinorumque obtutibus patet, ita potiſſimum Piſaurenſi Urbi decus maximum affert, atque ornamentum. Tantis igitur in nos benefactis, ut primum vires noſtrae paſſae ſunt, quam poſſumus, vicem referimus, Tuoque Nomine hoc etiam Secundum Fictilium Lucernarum Volumen inſcribimus; in quo ſi quid erit, quod eruditorum hominum opinioni reſpondeat, id illi a TE tamquam

bona-

bonarum artium tutela & praesidio profectum esse cognoscant. Vale.



ADDITIO

AD CATALOGUM EORUM,

QUI SOCIETATI NOMEN

DEDERUNT.

D. Joſeph Maria Martellius Archiepiſcopus Florentinus.

D. Laurentius Bargiacchius Florentinus.

D. Jo: Baptiſta Paſqualius pro . . . . . Gallo.

D. . . . . Eques Hieroſolymitanus.

D. Jo: Antonius Vulpius in Patavino Athenæo eloquentiæ profeſſor.

D. Alexander Mantegazzius Eccleſiæ S. Michaelis Placentiæ Præpoſitus, Illmi & Excellmi Praeſidis Provinciae Metaurenſis a Conſiliis.



LARVAE FICTILES EX FRAGMENTIS VASCVLORVM ANTIQVORVM
FISAVRI IN MVSÆO PASSERIO.

I. Menabuoy del. V.F. Scu.

JOANNIS BAPTISTAE
PASSERII J. C.
PRAEFATIO.



Io Bapt Passerius del. pis. in m. pass. VFS.

QUAE de Lucernarum origine, atque uſu ſcitu jucunda, aut neceſſaria cenſuimus ſuperiori volumine praefati ſumus. Sed quum plura poſt illius editionem aut addenda, aut corrigenda eſſe cognoverimus, praeſtat nunc ea praefationis loco hic adtexere, indicatis Tomi I. locis, quibus referenda ſunt.

AD PROLEGOMENA.

Pag. V. poſt lineam 10.

Verum, quod mihi in votis olim fuerat, tandem hoc

anno 1742. Lucernam Etruſcam collectioni meae adjungere datum eſt. Nuper enim in agro Tuderte Etruſcum monumentum detectum eſt, in quo praeter Etruſca quaedam numiſmata, & cornu potorium, quod in *Acherontico* meo deſcripſi, atque illuſtravi, pluraque alia vaſa fictilia ejuſdem plane, quo cetera Etruſca, opificii, ex argilla nempe ſubrubra, nigro encauſto obducta, Lucerna etiam ejuſdem materiae atque operis inventa eſt. Ea profecto Romanas omnes Lucernas quotquot viderim antiquitate antecellit; non enim typo, ut Romanae poſtea, excuſa eſt, ſed currente rota ducta; eademque argillae pars, quae in craterem ſinuata fuerat, compreſſo pollice concluſa eſt; inde integri operis venter prodiit, aptato dumtaxat naſo, atque manubrio. Propterea illam incidi in aes curavimus, rati haud ingratum fore iis, qui Etruſca monumenta amant, primam ejus gentis Lucernam conſpicere. *Tab. Praef. n.* 1.

Pag. VIII. lin. 33.

Quibus reſpondent ceriolaria, ut veteris Inſcriptionis verbo utar, quae deſcripſit Lucretius Lib. II. v. 24.

Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per aedes,
Lampades igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.


Pag. IX. lin. 25.

Alterum fictilis laternae operculum, perforatum, ut aer permearet, fumoque foedatum nuper Roma ad me miſſum eſt; cujus etiam imaginem damus *ead. tab. n.* 11. Fictili laternae in villa Cavaleria erutae, atque a Bartolo vulgatae *Sepol. Ant.* tab. XXIV. non parum lucis operculum noſtrum afferet.


Inter Lucernarum acceſſoria candelabrum dumtaxat memoravimus; verum tripodes etiam inter illa accenſendos eſſe docuit nos Lucerna, quae plumbeo tripodi impoſita hoc eodem anno 1742. in agro Firmano reperta eſt. Tripodem ab amico mihi cum Lucerna dono datum excudendum curavi *ead. tab.* n. 111., ne quid in hac re praeter-

I.


Praef. pag. II.



II.



III.



v. Jo: Baptæ Passerius. del.

v. Fr. scu

termiſſum eſſe videretur ad Lucernariae rei cognitionem. Candelabri vicem humilis tripus praeſtabat, ut ſepulcralis ignis religio ferculi dignitate quoquo modo attolleretur, neque humentem terram vividum illud, ac caeleſte elementum contingeret. An vero univerſorum Picentium commune id inſtitutum fuerit, viderint Eruditi Viri, quorum ſtudio florentiſſima illa provincia nobilitatur.

Pag. XV. lin. 10.

Deleatur Plinii textus, atque ita reſtituatur locus. Praeter fictiles Lucernas, marmoreas etiam in uſu fuiſſe dicendum erit; ſi quae in nonnullis Muſeis oſtenduntur antiquae ſunt; neque enim ſatis fidendum puto illis, quas Licetus vulgavit, neque item alteri marmoreae a P. Scarfò productae in ſuis *Opuſc. Erud.* Marmoreum tamen candelabrum, ſemipedale, in columelle modum excifum, cujus terna latera tribus variis Dianae aſpectibus excultum eſt, edito jam I. Lucernarum Tomo Muſeo noſtro acceſſit.

Pag. XVII. lin. 29.

Deleantur verba, dictum etiam Lychnitem &c. *cum duabus lineis ſequentibns.*

Pag. ead. lin. 33.

Deleantur verba λαμπαδουχος ημερα.

Pag. XXIII. lin. 31.

Poſt verba, ſemperque ſacrum *adde*. Quod etiam indicavit Plutarchus *Quaeſt. Roman.* LXXIV. *Cur lychnum non extinguebant, ſed per ſe langueſcere & deficere permittebant? an quaſi inextinguibilis illius ignis, & immortalis cognatum, & affinem colentes?*

AD NOTAS.

Pag. III. lin. 5.

Adde. Lucianus Dialogo *de Sacrif. At ſi quis pauper his*

(vi-

(victimis) *ita Deo litat , ut dexteram dumtaxat ſuam exoſculetur* . Qui quidem adorandi mos antiquiſſimus , & Moſi ipſi coaevus exiſtimandus eſt , quum inter hominum ſtultitias & impietates recenſeatur, *Job.* XXXI. 26. *Si vidi ſolem quum fulgeret , & Lunam incedentem clare , & laetatum eſt in abſcondito cor meum , & oſculatus ſum manum meam ore meo , quae eſt iniquitas maxima , & negatio contra Deum altiſſimum* .

Pag. 4. lin. 32.

Neque vero in ſacris Cybeles tantum duas aras appoſitas fuiſſe exiſtimandum eſt ; ſed & in aliorum etiam quorumdam Deorum ; hinc Virgilius *eclog.* v.

. . . . . *en quatuor aras,*
Ecce duas tibi , Daphni , duoque altaria Phoebo.

& Plutarchus *Quaeſt. Rom.* 59. *Quare quum duae ſint arae Herculis , mulieres nihil guſtant de his , quae in earum altera immolantur ?*

Pag. 9. lin. 18.

Adde . Profecto ad illud ſingulare cimelium illuſtrandum conferre maxime videtur Symmachi locus Lib. x. *Epiſt.* 35. ſtrenas Imperatoribus mitti ſolitas memorans : *merito Vobis ſolemnes pateras cum quinis ſolidis , ut Numinibus integritatis , offerimus* :

Pag. 10. lin. 1.

Poſt iterare *adde* . Quod etiam plurimis Lucernis nuper Roma ad me delatis confirmari poteſt ; in his enim recurrunt frequenter iidem typi , variata tamen Lucernae forma, & ornamentis, &, quod notandum magis eſt, figlinae ſubſcriptione .

Pag. ead. lin. 8.

Poſt continentur *adde* . Eadem fauſta precatio non infrequenter in hiſce fictilibus, quae eo tempore viciſſim inter amicos miſſitari ſolebant , invenitur . Audiendus Fabrettus *Inſcr. Dom.* cap. VII. n. 5.

AN-

ANNV
NOVVM
FAVSTV
FELICE
TIR

In Lucernae, vel calicis fictilis fundo hanc precationem inveneram, cum & aliam in simili orbiculo, totidemque versibus

ANNVM NOVVM FAVSTVM
FELICEM MIHIC

ex suo Museo ostendit V. Cl. Philippus Bonarrotius; unde non fortuito, sed veluti ex more talia munuscula bene ominata vel Saturnalibus, vel strenae loco ineunte anno praeparari conjecimus. Huc usque Fabrettus. Alium item superioribus haud absimilem orbiculum in Museo olim Cl. Gervasonii observavit saepius Cl. Oliverius meus.

Pag. 11. lin. 5.

Adde. Lauri praeterea folia inter bellaria habita fuisse docet Callias, sive Diocles in *Cyclopibus* apud Athenaeum Lib. IV. p. m. 140. inde docemur ne minutiora quidem harum Lucernarum emblemata absque ratione irrepsisse. Sed rem omnem penitus illustrat Symmachus in paulo ante laudata *epist.* 35. lib. X. *Ab exortu pene Urbis Martiae strenarum usus adolevit auctoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuae anni novi auspices primus accepit. Nomen indicio est viris strenuis haec convenire ad virtutem.*

Pag. 18. lin. 19.

Deleantur verba Matris enim nomen minime &c. *cum duabus sequentibus lineis*. Nam etiam Dianam *Matrem* dictam vidi postea apud Giraldum *Syntag. Deor.* p. m. 333. & apud Boxhornium ad quaest. LXXIII. Plutarchi.

Pag. 18. post lin. 31.

Quam vero supra firmavimus inter duas Vestas distinctionem

nem , vix putabam evidenti antiquo aliquo teſtimonio firmari poſſe , ac propterea ex pluribus Scriptorum locis colligere illam adniſus ſum , ſed Fratrum Arvalium fragmenta quaedam a Turrio vulgata *Ant. Antii.* ita rem in aperto ponunt , ut de induſtria inſcripta fuiſſe videri poſſint. In illis enim recitatis plurium Deorum nominibus , quibus victimae voventur , additur VESTAE OVES II. VESTAE MATRI OVES II.

Pag. 20. lin. 1.

Adde poſt adſcribendam duximus ; nam praeter quam quod ipſa Deorum omnium prima eſſet , ut Virgilius docet *Aen.* VII.

..... *Geniumque loci , primamque Deorum*
Tellurem

virtutes etiam illorum omnium &c.

Pag. 21.

In principio notae adde . Septem Planetarum capita uni navigio impoſita praeeunte Saturno vulgavit ex veteri gemma Montefalconius *Supplem. Ant.* Tom. 1. tab. 13. n. 1. in quo quidem emblemate jure merito Saturno principatus tribuitur ; ejus enim ſphoera , ut notat Macrobius *in Somn. Scip.* Lib. 1. c. 19. ex ſeptem , quae caelum ambiunt , prima eſt . In hac vero Lucerna ſeptem Planetarum capita &c.

Pag. 23. lin. 28.

Poſt appellantur *adde* . Inverſis item literis aliud ſigillum figulinae Piſaurenſis in minimo laterculo , ex his , quibus pavimentorum ſpinae conficiebantur , nuperrime ad me delatum eſt ; cujus imaginem hic damus .



Officina nempe VAleria SECVnda ; erat enim in agro Piſaurenſi altera Valeriorum officina operis doliaris majoris

ex

ex qua ingentes ollae prodibant, ac ubique obviae tegulae his literis inſcriptae: VALERIAE MAGNAE ERIDIAN. His reſpondent duo alia figlinarum ſigilla literis inverſo ordine ſcriptis apud Fabrettum *Inſcr.* Cap. VII. n. 8. & 159.

Pag. 33. lin. 25.

Poſt rapraeſentari exiſtimo *adde*. Atque ipſam Jovis Victoris imaginem, qui peculiaria ſacra, templumque hoc cognomine obtinuit. Ovidius *Faſtor.* IV.

Occupat Apriles idus cognomine Victor
Juppiter, hac illi ſunt data templa die.

Quod anno Urbis CDLIII. factum eſt Fabio Coſ; ut tradit Livius. Hujus autem in Lucernis vulgaris typi frequentia monet nos hanc Jovis imaginem peculiari veneratione cultam fuiſſe; inde ſuſpicamur has Lucernas ad Victoris Jovis feſta celebranda inſerviſſe.

Pag. 43. poſt lin. 26.

Neque vero, quo minus Diis Inferis in ea Lucerna ſacrificium exhiberi exiſtimemus, facit Sacerdos Gabino ritu cinctus; nam, niſi valde fallor, ibi repraeſentatur Imperator, qui memoriae aeternae Patris, vel Praeceſſoris ſui inter Divos relati ſacra facit; quibus in ſacrificiis Gabinum cinctum adhibitum fuiſſe ſolide demonſtrat Noriſius *Cenot. Piſ.* diſ. III. Atque ita aedificium, quod pone tibicinem viſitur, ſepulcrum, ſive mavis templum defuncti Principis credi poterit. Accedit inſuper, ut in hoc ſacrificii typo inferias agnoſcamus, quod juvencorum mactatorum jugulum inferne converſum eſt; in Deorum enim caeleſtium ſacris victimas ita procumbere religio poſtulabat, ut vulnera illarum Caelo obverſa eſſent.

Pag. 47. poſt lin. 13.

Obſervanda praecipue eſt forma ſtolae, quae peculiari quodam, neque obvio ritu demiſſa eſt. Similem prorſus veſtem Tellus Dea habet in anaglypho apud Fabrettum *ad Tabul. Iliac.*

Pag. 53. poſt lin. 21.

Verum aliam etiam ob cauſſam a Virgilio in Inferni aditu monſtra illa poſita fuiſſe exiſtimandum eſt; immortali enim anima praedita ea crediderunt Veteres, quae, monſtro interfecto, ad inferos migraret. Inde Theocritus in *Herc. Leonic.* Nemeaei Leonis ab Hercule occiſi animam illuc conceſſiſſe ſcribit: *Animam autem ingentem excepit Infernus.*

Pag. 57. poſt lin. 3.

Palladis ortum admirabundus ſpectat juvenis, bipenni reclinatae, qua Jovis caput novo ſane obteſtricandi modo disjecerat, incumbens. Id officium praeſtitiſſe Jovi Mercurium putant Eruditi, quos inter Cl. Bonarotius *Diſſert. in Dempſt.* §. 2. Magis tamen arridet mihi illorum ſententia, qui partes has Vulcano adſcribunt. Pindarus *Olymp.* od. 7.

Quando Vulcani arte
Ex aere ducta bipenni
Minerva vertice ex ſupremo Patris
Proſiliens vociferata eſt,
Ingenti clamore
Caelum autem horruit ipſa & Terra parens.

Apollodorus *Bibl.* lib. I. *Ubi vero pariendi tempus advenit, Prometheus, ſive, ut alii tradunt, Vulcanus, ejus caput ſecuri percuſſit, deque illius vertice ſecus Tritonem amnem armata Pallas exilivit.*

Pag. 57. lin. 13.

Potuit etiam alia de cauſſa exprimi Triton in Palladis galea; quum enim in Gigantomachia primas illa egiſſet, inque eo praelio Triton buccinam inflans, immanemque ſonum edens Gigantes immanem aliquam belluam ratos fugaſſet, atque ita facilem Diis victoriam paraſſet, recte potiſſimum tantae Victoriae adjumentum Palladis capiti impoſitum fuit. Quod etiam in cauſſa fuit cur Jovi Triton jungeretur.

Pag.

Pag. 61. lin. 36.

Pauſaniae aetate quaedam ex antiquiſſimis illis ſimulacris adhuc ſupererant *in Arcad. In colle Neptuni templum cum quadrato ſigno.*

Pag. 68. in pr.

Cupidinem, abjecto arcu & ſagittis, liram tenentem deſcribit Pauſanias *in Corinth.* Eumdem typum in hac Lucerna recurrere exiſtimabunt ii fortaſſe, qui omnia Geniorum officia ad unum Cupidinem tranſtulerunt. Nos vero, qui Genios Deorum adminiſtros probe novimus, quum nec arcus appareat, nec ſagittae, Apollinis Genio Lucernam hanc adſcribimus.

Pag. 70. lin. 20.

Deleantur verba Claudii cognomento Gothici, *atque ita reſtituatur locus;* ibi enim magnificam olim, ingentemque C. Vibii Triboniani Galli Auguſti liberti villam extitiſſe compertum eſt.

Pag. 79. poſt lin. 2.

Veterum teſtimonia, ne cui forte pauca videantur, confirmari poterunt ex Diodoro Siculo lib. 1. Plutarcho *quaeſt. Rom.* LXXVI. Martiano Capella lib. II. aliiſque a Voſſio relatis *De orig. Idol.* lib. II. c. 2. Deorum enim, Dearumque nomina, quod fuſius in *Roncallienſibus* meis pertractavi, quibus vulgo utebantur, haudquaquam exiſtimanda ſunt propria illorum nomina; nam ea penitior religio occultabat: ſed cognomina, atque epitetha ex attributis deſumpta, quae quum pluribus convenirent, pluribus etiam tribuebantur. Exemplis ibidem allatis addi poteſt etiam Themidem a Nonno *Dionyſ.* lib. XLI. v. 163. *Ilithyiam*, nempe Lucinam, appellatam fuiſſe; quamobrem plures Ilithyias in Sybillinis indicabantur.

Tum Ilithyias placanto
Puerperas, ut fas eſt.

Pi-

Ad Praeclariſſimum Virum

JOANNEM BAPTISTAM PASSERIUM

De LUCERNIS FICTILIBUS eruditiſſime ſcribentem.

QUas olim dederat Mareotica Terra Lucernas,
Has reddit largo fenore Paſſerius.

Niliacae lucent per muta ſilentia noctis:
Luce pari lucent nocte dieque ſuae.

Illae extinguntur ſubito, ſi deſit olivum;
His, ſemper deſit, flamma perennis erit.

I ſequere, & mentis da pignora clara Joannes;
Aemula Phoebeae pignora lucis erunt.

Haec ubi praeſtiteris, Phoebo mirante, niteſcet
Luce nova, & radiis Orbis uterque novis.

Ignatius Maria Comus.


IN-

INDEX TABULARUM.

Caput Herculis I.
Hercules in laurea II.
Herculis expiatio III.
Hercules ad Aram maximam IV.
Herculis Sacrificium adſtante Victoria V.
Hercules Muſagetes VI.
Hercules, & Minerva VII.
Hermathena, Hermeracles VIII.
Herculis tropaeum IX.
Genius Herculis λαφυτοφορος *X.*
Genius Herculis ſacrificans XI.
Sigillum Herculis fictile XII.
Protome Veneris XIII.
Protome Veneris Anadyomenes XIV.
Venus ex Balneo prodiens XV.
Veneris ſimulacrum fictile XVI.
Judicium Paridis XVII.
Veneris ſymbola XVIII. & XIX.
Cupido & Pſyches XX.
Cupidinis expiatio XXI.
Caput Martis XXII.
Mars Gradivus XXIII.
Genius Martis XXIV.
Martis ſymbola XXV.
Genius Exercitus XXVI.
Chartaginis ſymbola XXVII.
Eques XXVIII.
Arietarius XXIX.
Centurio XXX.
Rudiarius XXXI.
Milites XXXII. XXXIII.
Vulcanus XXXIV.
Cyclopes XXXV.
Bacchi Protomes XXXVI.
Bacchus Corniger XXXVII.
Bacchi biga a Centauris acta XXXVIII.
Bacchus Αχριτοφορος *XXXIX.*
Bacchus dolio inſidens XL.
Genius Bacchi XLI.
Dea Libera XLII.
Lena XLIII.
Baccha Tympaniſtria XLIV.
Bacchi pompa XLV.
Sileni XLVI. XLVII.


Fauni XLVIII. XLIX.
Tropaeum Bacchi L.
Oscilla Bacchica LI. LII.
Larvae LIII. LIV. LV. LVI. LVII.
Pomona LVIII. LIX.
Priapus LX. LIX.
Terminalia LXII.
Genius Domesticus LXIII. LXIV.
Comus LXV.
Fortuna LXVI.
Fortuna stans LXVII.
Serpens LXVIII.
Aesculapius, Hygia, Telesphorus LXIX.
Salus in lectulo jacens LXX.
Salus jacens cum serpente LXXI.
Salus super pedis figuram reclinata LXXII.
Salutis antathemata pedes Votivi LXXIII.
Candelabrum Victoriae LXXIV.
Victoria gradiens cum palma & corona LXXV. LXXVI.
Victoria globo insistens LXXVII.
Victoria cum symbolis LXXVIII.
Victoria inter captivos LXXIX.
Victoria Trajani LXXX.
Victoriae cum clypeo LXXXI. LXXXII.
Victoria in corona querna LXXXIII.
Victoriae lauream sustinentes LXXXIV.
Victoriae candelabrum coronantes LXXXV.
Victoriae tropaeum statuentes LXXXVI.
Victoriae thus adolentes LXXXVII.
Victoriae in Zophoro Vitreo LXXXVIII.
Tropaeum LXXXIX.
Lucernae triumphales XC.
Homerus cum Musa XCI.
Protomes trium Poetarum XCII.
Graecorum ex classe descensus XCIII.
Graecus ex biga pugnans XCIV.
Heros cum nimbo in biga XCV.
Graeci, & Trojani pugnantes XCVI.
Penthesilea deficiens XCVII.
Diomedes & Ulysses de Palladio disceptantes XCVIII.
Heros Palladi sacrificans XCIX.
Ulysses ventos includens C.
Orestes furiis agitatus CI.
Thesei cum Euryto pugna CII.
Heros cum milite differens CIII.
Oedipus cum Sphinge CIV.

FINIS.




I. Menahuson del.

V. Fronuschius Scu.




I. Menabuoni del. V. Franceschini Scu.



I. Monubuoni del


V. Franceschini Scu






I. Menabuoni del.

V. Franceschini Scu.




I. Menabuoni del.

V. Fonteschini Sc.



I. Menabuoni dcl. V. Franceschini Scu.







I. Menabuoy del

V.F. Scu.







I. Menabuoni del. V. Franceschini Scu.



I.Menabuoni del. V.F. Stu




I Menabuoni del. V. Fr. Scu.



Ja. Mercabuony. del.


C. Pauey. fe.

XIII




Iof. Menab. del

P. fc




J. Monabuonj. del *C. Fauecj. Sc*





J. Morabuoy. del.

C. Faucey. sc.




Ioseph Manabuoni del.

P. A. Pazzi sc.




XVI



J. Manabuonj. del.

C. Faucci fe.


XVII.



Joseph. Minasuoni del.


C. Gregory Sculp.







I. Menabuoni del.

V. F. Scu.







J. Menabuoni del. *C. Faucci Sc.*



J. Menabuoni del. C. Faucci fc.



XXII
J. Menabuoni del.
C. Faucci sc.

XXII



F. Monabuonj. del. *C. Faucci Sc.*






I.M enabuoni del.

V.F. Sc.




F. Manbuoni del

C. Fauci sc




J. Menabuonj del.

C. Fanoj sculp.




J. Cenabuoni del. C. Gregori sc.






I. Menabuoni del et Scu.






F. Monabuoni del. C. Faucci sc.






I. Menabuoni del. V. F. Scu.




J. Menabuonj del.


C. Gregorj sculp.



I. Menabuoni del. V. Fr. Scu.




J. Menabuom del. C. Faucq. sc.




J. Venabuoni del.


C. Fauci sc.




Ioseph Menabuonj del. *Carol. Faucci sculp.*




J. Menabuonj del. C. Faucci sc.


XXXVI.
G. Menabuoni del.
C. Faucci sc.





XXXVII
J. Menabuoni. del.
C. Faucci. Sc.





I. Menabuoy dd.

V. F. Sculp.



I.Menabuoj. del.

V.F.Sc.


XL.



F. Menabuoni del. *C. Gregori sc.*




XLI.




J. Menabuoy. del.

C. Faucy. Sc.





XXXXII
AZ
J. Menabuoy del.
C. Gregory sculp.




I. Menabuoni del.

V. F. Scu.


XLIIII




IMenabuonj del~ V·F·Sculp~



I. Mencouenj del. *Vi F Scu*



J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.



J. C. Monabuoni del.


C. Faucci sc.



J. Monabuoni del. C. Faucci sc.




J. Menabuoni del. C. Faucci Sc.




I·Menabuonj del·

V·F Sc.




J. Menabuoni del. C. Faucci sculp.





LII
FORTIS
T. McNabbony del.
V. E. Sc.






J. Venuti del. C. Faucci sc.






J. Menabuoni del. C. Fauci sc.




I Menabuonj del.


V^s. F Scu



I.Menabuonj del. V.F. Scul.





T. Menabuonj del. *C. Faucci sc.*



I. Hamilton del.


V. E. Scul.


LIX
J. Menabuoni del.
C. Faucci sc.




J. Menabuoni del.

C. Faucci sc.




I. Menabuoni del. V. F. Scu




J. Mona buoni del.

C. Fauoci fo.




I. Menabuoni del.


V. F. Stan



J. Menabuoni del.


C. Faucci sc.


TIND
PLOTIN
AL



I Menaduony bele


Vi F. Sculp



J. Venabuoni del.

C. Fauci sculp.





a V. Menabuoni del.

C. Faucci sc.


LXIX.



EX MARMORE

Ios Menabuonj del. et Sculp.


LXX



I·Menabuoj del.

V·F Scu·

LXXI.



I. Menabuoni deb —

V.o Franceschini Scu —




F. Venâsuoni del.

C. Fauci f.



J. Menabuoni del.

C. Faucci sculp.




J. Menabuoni del.

C. Fauci sc.




J. Menabuoni del. C. Faucci sc.



I. Menabuoni del.

V. F. Scu..

LXXVII




Ioseph Minabuoni del

P. A. Pazzi sc.




LXXVIII



T. Monaburonj. del. *C. Pauc.j. Sc.*


LXXIX.



PFABRCF
TERTIA


J. Menabuoni del.

C. Faucci Sc.




Ioseph Menabuoni delin. e fc.





I. Menabuonj del.

V. F. Scu





J Menabuoni del.

C. Faucci sc.




J. Menabuoni del. *C. Faucci Sc.*


LXXXIIII
I. Menabaoni del.
V. F. Sac.




J. Menabuoni del. C. Faucig sculp.



I. Menabuoy. del.

V. F. Scu


LXXXVII



F. Menabuoni del. C. Fauci sc.




Joseph. Monabuoni del. ANAGLIPHVM EX VITRO LONGITVDINIS PALM DVORVM C. Faucci sculp.





C. Nenabuoni del.


C. Fauser sc.



F. Menabuoni del. *C. Faucci Sc.*


XCI.



XCII
ICCI
F. Menabuoni del.
C. Fauci Sc.



J. Masabumi. del.

V. F. Sculp.


XCIIII.



I. Menabuoni del.


Vo. F. Scu.

XCV.




EX MARMORE ALT. PED. III.

Ioseph Menabuoni del *P. A. Pazzi fe.*




J. Menabuoni del. C. Fauery sc.




G. Monaburoj del.

V. Z. scu




F. Menabuoni del. *C. Faucci fe.*




J. Menabuoni del.


C. Gregori sculp.



J. Menaduoy del.

V. F. Stur



C1.
T. B R
I Mendoni del.
Vi F. Sue



I Menabuoni del.

Vi Franceschini Scu

CIII.




N.o

I. Menabuoni del.

I. Franceschini Sca.

C IIII.



F.Menabuoni del.

V.F.Scu

JOANNIS BAPTISTAE PASSERII J. C. IN VETERES LUCERNAS NOTAE.

I.

CAPUT HERCULIS.

HERCULIS Caput duplici gemmato diademate redimitum, quod ex hac Lucerna depromimus, in vetuſtis Monumentis hactenus vulgatis nondum, quod ſciam, viſum fuit. Profecto non unam ob cauſsam Veteres hoc Herculi ornamentum tribuere. Herculem enim coronari par erat, non modo, quia *coronae*, teſte Plinio Lib. XXI. 3. *Deorum honos erant*, verum etiam, quod Rex ille fuiſſet. Hinc Homerus in ejus hymno:

Salve Rex Jovis fili.

Praeterea, quod Athletarum praeſes, imo clariſſimorum certaminum auctor audiret: denique quod interdum *Triumphalis* appellatus ſit, ejuſque ſimulacrum *per triumphos habitu triumphali* veſtiretur; uti Plinius idem tradit lib. XXXIV. 7.

Gemmatas coronas Diis attributas memorant frequenter Scriptores, quos inter Tertullianus de Coron. cap. 13. *Hoc vocabulum eſt coronarum quas gemmis, & foliis ex auro quercinis ob Jovem inſignes ad deducendas Thenſas, cum palmatis togis ſumunt*: more utique a Graecis petito, qui gemmatas coronas, ſeu diademata Deorum capitibus imponebant, uti ex Pauſania conſtat. Huc ſpectaſſe Imperatorem Commodum conjici poteſt, qui Herculem referre affectans, theatrum ingreſſus *corona aurea illuminata gemmis Indicis* utebatur, Dione teſte lib. 72.

Oſcilla duo fictilia intus vacua perforatis oculis, atque buccis, ultimam rudi opere antiquitatem redolentia, & ad

prototypi magnitudinem expreſſa ſubjecimus; quippe quorum inſtitutio Herculi adſignatur, qui quum Italos foedo humanae victimae ſacrificio in Saturni honorem, pollui magis, quam expiari animadvertiſſet, inſtituit, ut hominum ſimulacra pro hominibus ipſis offerrentur, uti refert Macrobius lib. 1. cap. 7. *Herculem ferunt .... ſuaſiſſe, ut fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent; inferentes Diti non hominum capita, ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata*, & cap. XI. *Pelaſgos poſtquam felicior interpretatio capita non viventium, ſed fictilia, & φωτος aeſtimationem, non ſolum hominem, ſed etiam lumen ſignificare docuiſſet, coepiſſe Saturno cereos potius accendere: & in ſacellum Ditis arae Saturni cohaerens oſcilla quaedam pro ſuis capitibus ferre; ex illo traditum, ut cerei Saturnalibus miſſitarentur, & ſigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur: quae homines pro ſe, atque ſuis piaculum pro Dite Saturno facerent.*

Haec autem oſcilla, ut de illorum quoque uſu paucis diſſeram, ſive fictilia fuerint, ut noſtra, ſive ex alia quacunque materia, ad hominum expiationem pertinuiſſe arbitror. Solebant enim veteres ſacris arboribus oſcilla ſuſpendere, quam quidem caerimoniam reſpexiſſe videtur Virgilius Georg. II. v. 389. dum ait:

Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia Pinu.

In quem locum haec tradit Servius: *Inde inventum eſt, ut formas ad ſui oris ſimilitudinem facerent, & eas pro ſe ſuſpenſas moverent.* Tria enim poenarum genera, quibus apud inferos hominum crimina puniebantur pari expiationum numero tolli poſſe inter vivos tradiderunt. Siquidem tria animabus crimini obnoxiis ſupplicia imminere autumabant; nempe, per ignem, aerem, atque aquam; quae ſcite, ut ſemper, his verſibus complexus eſt Virgilius Aeneid. VI. v. 739.

Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanes
Suſpenſae ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Quibus quidem cruciatibus avertendis totidem purgationes adinventae ſunt; per taedas ſcilicet, & ſulphur; per ablu-

blutionem; demum per ventilationem; nempe iisdem elementis adhibitis ad vivos homines scelere exsolvendos, quibus mortui cruciari debuissent.

II.

HERCULES IN LAUREA.

ELegantissimi operis Lucernam commendat Hercules stans. Discum ambit laurea corolla ex manubrio hinc inde descendens. Multas quidem arbores Herculi sacras persuasum habuit vetustas, quas inter esculum, albam populum, & cerrum: sed has peregrina superstitio illi consecravit, laurum vero Latina. Quum enim Caci caede Pallantium liberasset, Aborigenes, & Arcades loci incolae *pauperes ramos lauri decerpentes, quae multa eo loco nascitur, illumque & se ipsos coronaverant;* uti memoriae prodidit Dionys. Halic. lib. 1. Quare Macrobius lib. 111. cap. 12. morem obtinuisse memorat ut *ad aram maximam sola lauro capita, & alia fronde non vinciant. Videmus & in capite Praetoris Urbani lauream coronam, cum rem divinam Herculi facit.*

III.

HERCULIS EXPIATIO.

HErcules inter aras consistens sui expiationem aggredi videtur. Nondum ille sacrificat: vix enim credo in veterum monumentis inveniri nudos sacrificantes; nisi forte Genios Deorum administros. Collumellae instat Deae simulacrum; at cujus sit, affirmare non ausim, ex rudi praesertim notae opificio, ubi minutiora non admodum solerter efficta cernuntur. Si vero in obscuris conjecturae locus, haec, qualiscumque sit, eruditis viris nequaquam, ni fallor, improbabitur. Parva illa imagine Cererem significari opinor; cui maxime proprium est calathi attributum, quem capite gestat. Calathus enim sol-

lemni curru, & pompa in ejus honorem geſtari ſolebat in ipſius Deae feſtis, quae Graecis Θεσμοφορια appellantur, quemadmodum ex Callimacho in illius Hymno, & Ariſtophane in *Theſmoph.* colligitur. Hinc & eadem Ceres cum calatho in nummo Salonianae Auguſtae, & in alio Sardianorum obſervatur apud Ezechielem Spanhem. *de Veſta*.

Arulis hinc aquae urceus imponitur, inde ignis ardens, non tantum ſymbola, ſed & inſtrumenta, quibus duplex expiationis genus perficiebatur, uti ex Servio demonſtravimus. Nudus autem hic repraeſentatur Hercules, qualem ex lavacro credendum eſt, ut rite ſacra perageret, aſcendiſſe. Hunc lavandi corporis morem, antequam ſacra inirentur, paſſim teſtati ſunt Scriptores. Plautus Aulul. Act. III. Sc. 6. v. 43.

Ego, niſi quid me vis, eo lavatum, ut ſacruficem.

Et Liv. lib. I. Romanos ita Sabino homini ſuccenſentes inducit. *Quidnam tu hoſpes paras? inceſte ſacrificium Dianae facere? quin tu ante vivo perfunderis flumine? infima valle perfluit Tiberis*. Praeſertim vero qui alicujus caedis conſcius ſibi eſſet, neque contrectare Deorum ſimulacra potuiſſe crediderunt, niſi lotione corporis animi maculam expurgaſſet; ita Virg. Aeneid. lib. II. v. 722.

Tu, genitor, cape ſacra manu, patrioſque Penates:
Me bello e tanto digreſſum, & caede recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Quod ridet Arnobius lib. VII. & Lactantius Firmianus, *de falſ. Relig.* lib. v. Imo ipſe ex ethnicis Ovidius:

O nimium faciles, qui triſtia crimina caedis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua.

Saepe Herculem caedibus expiatum accepimus, atque has quidem illius expiationes frequenter in vetuſtis anaglyphis occurrunt; inter quae memoranda in primis celeberrima Farneſiana Tabula, quam Cl. Gorius inter Marmora Doniana iterum publici juris fecit. At vero expiatio illa, quam in hac Lucerna parat Hercules, ea, ni fallor, eſt, qua ad inferos deſcenſurus, ab Eupolmo purgatus eſt, de qua

Apol-

Apollodorus *Bibl.* lib. 11. pag. 71. *Hercules ab Eupolmo tanti criminis contagione expurgatus* (caede nempe Neſſi Centauri) *Cereris ſacris initiatur, inde ad Taenarum Laconiae Promontorium, ubi ad inferna oſtium patet, acceſſit.*

I V.

HERCULES AD ARAM MAXIMAM.

HErculis ſacrificantis imaginem in hac Lucerna nemo non agnoſcit, quamquam ſibi familiaribus ſymbolis deſtituatur. Illam enim produnt & nota effigies, & validi corporis lineamenta, ejuſque cultus, quippe Heroum more ſeminudus ſacrificat ; ipſe denique detecto capite ſacrificandi ritus, quod corona tantum redimitur. Hic enim mos illi uni, ac Saturno peculiaris eſt ; cum cetera Romanorum ſacra velato capite perpetuo peragi ſollemne fuerit. Ejuſmodi ritum ex Oriente accerſitum putavit Xilander in notis ad x. Quaeſt. Rom. Plutarchi : a quo non longe abeſt praeceptum Aaroni injunctum Exod. c. 29. v. 6. ut cydari uteretur. Sed ne Ethnicorum nugis Religionis ſacramenta miſceamus, ſufficiat nobis hanc caerimoniam ab Aenea uſque deducere, qui, Plutarcho teſte memorata quaeſt. Rom. x. auctor fuit, ut ſacrificantes caput operirent. Id illi ab Heleno quondam traditum refert Virg. Aen. 111. v. 403. & ſeqq.

Quin ubi tranſmiſſae ſteterint trans aequora claſſes,
Et poſitis aris jam vota in littore ſolves,
Purpureo velare comas adopertus amictu :
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.
Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto ;
Hac caſti maneant in relligione nepotes.

Quem locum explicans Servius ſubdit : *Sane ſciendum ſacrificantes Diis omnibus capita velare conſuetos ob hoc, ne ſe inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne Numinis imitatio eſſe videretur, quia Saturnus velato capite ibi cernitur ; & Herculi in Templo ſuo, quia*

quia & ipſe capite operto eſt. Leonis exuvias intelligit hoc loco Servius, quas ſacrificans mutavit. Eadem fere tradit & Macrobius Saturn. lib. 1. c. 8. *Illic* (ſcilicet in aede Saturni) *Graeco ritu capite aperto res divina fit, quia primo a Pelaſgis, poſt ab Hercule ita eam a principio factitatam putant*.

Hoc igitur ritu compoſitus Hercules, unicaque caput corona redimitus, aram maximam tenet, in qua Deorum unicus ſua ſibimet ſacra perfecit. Prodeat iterum teſtis Dionyſ. Halicarnaſ. ſuperius memoratus, lib. 1. *Aborigenes, & Arcades*, inquit, *pauperes ramos lauri decerpentes, quae multa eo loco naſcitur, Herculem, & ſe ipſos coronarunt. Evander autem quum vellet omnes homines praevenire Deorum honoribus, Herculem primus placans, aram illi ſtudioſe extemporaneam erigit immolatque juvencum indomitum, divinationem Carmentae Herculi aperiens, precatuſque eſt, ut ſacra perficeret*. Hujus vero uſum coronae ex Lauro in Herculis ſacris minus antiquum docuit Macrobius Saturn. lib. III. c. 12. *Conſtat quidem nunc lauro ſacrificantes apud aram maximam coronari; ſed multo poſt Romam conditam haec conſuetudo ſumſit exordium, poſtquam in Aventino lauretum coepit virere ..... Maro noſter ad ea tempora reſpexit, quibus Evander, ante Urbem conditam apud aram maximam ſacra celebrabat, & utebatur populo, utique Alcidae gratiſſima*. Haec vero Virgilius Aen. VIII. v. 276. & ſeqq.

..... Herculea bicolor quum populus umbra
Velavitque comas, foliiſque innexa pependit.

& ibid. v. 285., & ſeqq.

Tum Salii ad cantus incenſa altaria circum
Populeis adſunt evincti tempora ramis.

Sollemne illud Nemaei Leonis ſpolium nuſquam appareret. Alienum enim a religione fuiſſet tantae necis exuvias ob oculos Deorum ſacrificantem objicere, non enim de ſilveſtri fera agebatur; ſed de monſtro divinae originis, quod Chimera ex Ortho in perniciem hominum pepererat ut ſcribit Heſiod. *Theogon.* cujus etiam poſt mortem anima minime evanuerat ferarum more, ſed excepta inferno, ut tradit Theocrit. in *Hercule Leonis interfectore*,

re, adhuc vivebat, quod de ceteris hujuſcemodi monſtris tradit Virg. Aen. vi. v. 285. & ſeqq. Quod ſi marmor Farneſianum toties a doctis Viris recuſum, in quo Herculis expiatio obſervatur pro Lucernae noſtrae illuſtratione adeamus, intuebimur Herculem ſacra facientem unico coopertum palliolo, ut in toreumate noſtro videre eſt. Accedit inſuper Appollodori auctoritas *Bibl.* lib. 2. Is enim Herculem deſcribit Jovi Cenaeo ſacrificantem, ac pelle Leonis depoſita, pallioque ſibi a Dejanira, quod illa veneno infecerat, miſſo coopertum, quo in furorem actus eſt. Quae vero forent hae caerimoniae, quae graeco more Herculi praeſtarentur, atque in quo potiſſimum a latino differrent, nemo tradidit; imo inter arcana quandoque illas latitaſſe vel ex eo deduci poteſt, quod quum eae in una Pinariorum familia ſervarentur, haec non aliter quam pretio corrupta ab Appio Claudio publicis eas adminiſtris propalavit, ut ait Dionyſ. Halic. lib. 1. & Macrob. Satur. lib. 1. c. 6. Attamen inter earum ritus illud peculiare fuiſſe ſcimus, ut aperto capite ſacra perficerentur. Praeterea in his ſacris lectiſternia eſſe licebat; ſed, qui ſacris epulis veſcerentur, ſedere ſolebant, quum in ceteris reclinati ad menſas accumberent, quod ex Virg. lib. viii. & Servio in eum locum clare depromitur. Ad hoc, Sacerdotum veſtes expellibus coſtabant, quod item ex Virgilio percipimus.

Pellibus in morem cincti.

Si vero quid magis arcanum in hiſce ſacris, quae graeco more fierent, expiſcari eſt animus, adeundus Pauſanias in *Corinth.* ait enim Sicyonios primum Herculi, tanquam Heroi parentare conſueviſſe, quod aegre ferens Phaeſtus, & iniquum putans divinos illi honores non haberi, inſtituit, ut jugulati agni femora ad aram torrerent, carnium vero partem unam non aliter, quam victimarum ſoliti eſſent, veſcerentur, altera Herculi, tamquam Heroi, parentarent. Sed fortaſſe haec unius Sicyonis ſacra erant, ceterorum vero Graecorum longe aliter ſe habebant, praecipue quum ex Virgilio, Dionyſio, & Macrobio comperiamus, tauro indomito Herculi fieri conſueviſſe.

Ara cui Hercules adſtat, ex iis eſt quas compactiles appel-

appellari animadvertimus in notis ſuperioris Voluminis, cui formae optime reſpondet Dionyſii auctoritas, qui extemporaneam ab Evandro fuiſſe erectam teſtatur.

V.

HERCULIS SACRIFICIUM ADSTANTE VICTORIA.

FOrte in hac Lucerna Herculis ſacrificium expreſſum eſt, quod ille, Caco occiſo, Jovi Inventori obtulit, uti narrat Dionyſ. Halic. lib. 1. ſemet prius a recenti caede expiato per ablutionem in Tiberi. Inde Victorem cognominatum ſcimus, aramque maximam illi hoc cognomine eo loco dicatam quo in loco tantum Latinis beneficium fuerat impertitus: quod non obſcure prope adſtans victoria ſignificare videtur. Hanc jure omnium Herculis laborum conſciam, ac veluti ſociam poſſis appellare. Sequimur tamen Romanorum inſtitutum, qui Deorum cognomina non ex peregrinis factis, ſed patriis maluerunt nuncupare. Quare Herculi victoriam in hac Lucerna ſociatam credimus, quod eorum progenitoribus, uti putabant, illius ope ſalus parta fuiſſet. Notatu dignum eſt ſacrificium perfici, non patera, ſed ſimpulo, fortaſſe ſcypho, quo in ejus ſacris utebantur. Ita enim teſtatur Virgilius:

Et ſacer implevit dextram ſcyphus.

VI.

HERCULES MUSAGETES.

CLaudianus de laud. Stiliconis Praefat. lib. III. v. 6.

Carmen amat quiſquis carmine digna gerit.

Herculem Heroum more cantum, & citharam didiciſſe tradit Theocrit. in *Herculiſco*.

Litteras quidem puerum ſenex docuit Linus,
Sed cantatorem eum fecit, & ambas manus formavit.

In

In buxea cithara Philammonides Eumolpus.

Apollodor. vero lib. 2. *Bibl.* ait eum a Lino citharoedicam didiciſſe. Cur vero Herculem Muſis ſacraverint Graeci, qui eum Muſagetem appellarunt, trita eſt apud Mythologos ratio: nempe fortitudinem ſine ingenio minime pollere. Aliam adducit rationem Plutarch. in *Problemat.* quod nempe Hercules Evandrum litteras docuiſſet, quod ex Jubae monumentis excepiſſe tradit. Herculis vero templum Romae a Fulvio Nobiliore exſtructum in circo Flaminio, & a Marcio Philippo reſtauratum tradit Svet. in *Aug.* c. 29. licet alii primum fundatorem Philippum intelligant, ex ipſis Svetonii verbis: ejuſque feſtum pridie Kal. Junias memorant vetera Kalendaria. Aleander ad *Tab. Eliacam* Herculem probat eſſe Solem; quare Muſis optime convenit.

VII.

HERCULES, ET MINERVA:

HErculem, & Minervam non ſemel in Etruſcis monumentis ſociatos obſervavimus, quod ejus Deae monitu multa egregie perpetraſſe creditus ſit: ſic in bello adverſus Titanes Juppiter conſilio Palladis Herculem ſocium accerſivit, qui primus omnium Halcyoneum ſagitta confoſſum interemit, ut tradit Apollodorus *Bibl.* lib. 1.

Etiam Minervam Alcidem a Macedonibus cultam memorat Liv. lib. 42. c. 40. *Ipſe (Perſes) centum hoſtiis ſacrificio regaliter Minervae, quam vocant Alcidem, confecto, cum purpuratorum, & ſatellitum manu profectus eſt Citium.* At iſtud Minervae cognomen nihil cum Hercule commune habet, quippe eſt ab ἀλκιμος *fortis robuſtus*; unde alio cognomine Minerva ἀλκιμαχη dicta eſt; ut tradit Suidas.

VIII.

HERMATHENA, ET HERMERACLES.

PAlladis, atque Herculis ſigna Hermeis ſtipitibus impoſita hic feruntur, quibus ſapientiam, & fortitudinem

cum eloquentia conjungi oportere veteres judicarunt. Quamobrem ex his Academias ornari consueviſſe aptiſſimo emblemate a Cicerone docemur ad *Att.* lib. 1. Ep. 4. *Quod ad me de Hermathena ſcribis, per mihi gratum eſt ornamentum Academiae proprium meae, quod & Hermes commune omnium, & Minerva ſingulare eſt ejus gymnaſii.* Hermeraclarum quoque mentionem facit Cicero ad *Att.* lib. 1. Ep. 8. *Signa noſtra, & Hermeraclas, ut ſcribis, quum commodiſſime poteris, velim imponas.* Signa haec pectore tenus in humanam effigiem efficta inferne in quadratae collumellae morem deſinunt; Hermea vocant, quod illa potiſſimum effigie Mercurius effingeretur. Cum vero alterius Dei caput praefixum habet, ex illo, & Mercurio coalitam divinitatem plerumque Mythologi philoſophantur. Ego vero non id myſtice factum, ſed artis defectu eveniſſe puto; ut quae corpora antiquitus exprimere non valerent, ea in collumella explicarent. Nullius enim Dei imago fuit, praeſertim ex antiquioribus, quae, Pauſania teſte, hac forma non conſtaret. Sic in *Arcadicis* ſigna Apollinis, Minervae, Neptuni, Solis ſervatoris, Mercurii, & Herculis fuiſſe affirmat. Tale rurſus in *Boeoticis* tradit fuiſſe Veneris ſimulacrum, quadrangulae inſiſtens baſi, pro primaeva idololatria, quum ſaxa primum informia colere coeperunt. Pauſ. in *Boeot. Cupido, cujus eſt ſignum vetuſtiſſimum rude quoddam ſaxum.* Tum capita addiderunt, ut ait Bonarrot. *Medaglion.* pag. 215.

IX.

HERCULIS TROPHAEUM

LEonis, ſive Nemaei, ſive Lesbii, ſiive Citheronaei exuviae in hoc Herculis Tropaeo principem obtinent locum. Heſperidum poma aurea ſuperius eminent, quae Jovi a Junone in dotem tradita a dracone centum capitibus armato cuſtodiebantur, quem idem Hercules interemit. De quo facinore plura apud Atheneum lib. 111. cap. 7., & Bonarrot. ad num. 9. *Caracallae.* Cur citharam Herculi attribuerit antiquitas, indicavimus ſupra n. VI.. Gladium vero illi

in-

inter cetera arma adſcriptum memorat Apollod. lib. 2. ſcribens illum enſem a Mercurio accepiſſe. Machaeras quoque Herculis in Imperatoris Commodi gaza ſervatas refert Capitolinus in *Pertinace*, quae & forma, & ſui mole Herculem non dedecuiſſent.

X

GENIUS HERCULIS ΛΕΟΝΤΟΦΟΝΕΟΣ.

CLavam attollit Genius Herculis, veluti de Leonis nece jactabundus, Herculem imitatus, qui ejus belluae caedem ita deſcribit apud Theocritum in *Hercule Leonis interfectore*

Altera vero manu clavam aridam ſupra tempora illius attollens
Impingebam in caput. In duas vero partes aſperam fregi
Ibidem in hirſuto capite ſilveſtrem oleam . . . . .
Ibi Deorum aliquis me admonuit, ut cogitarem
Ipſis pellem Leonis ſcindere unguibus;
His celeriter excoriavi, & membris indui.

Ipſa clava, quam Genius attollit, in duos nodorum ordine sdiffiſſa eſt, caſu, an opificis induſtria, neſcio, ut vetus illud detrimentum exprimeret.

X I.

GENIUS HERCULIS SACRIFICANS.

INſtitutum erat in inſula Delo, ut ſine victimarum uſu ſolis pomis Herculi libaretur, qui inde peculiari cognomine ΜΗΛΩΝ vocatus eſt, ut notavit Bonarrotius *ad num.* 8. *Caracallae*. Ita nempe illa gens ipſi Deo ſe blandiri putabat, quod inter praecipua ejus facinora, aureorum pomorum rapina numeraretur. Hoc itaque ſacrificium refertur in hac Lucerna, in qua Heracleros clava inſignis ad aram accedit, quae pomis referta eſt, ac dextera ingentem pateram arae admovens, nudus (ut Genii fere ſemper) ſa-

crificat. Genios vero Deorum ſacra celebrantes effinxerunt; quod illorum ope, veluti Deos inter, atque homines intermedia horum ſacrificia ad Caelites deferri putarent, uti ſuperiori Volumine innuimus.

XII.

SIGNUM HERCULIS FICTILE.

SUm fragilis, ſed tu, moneo, ne ſperne ſigillum,
Non pudet Alcidem nomen habere meum.

Ita in ſimile Herculis ſimulacrum luſit Martialis lib. XIV. *Epig.* 176. vel 178. juxta varias editiones. Inſignem Herculis fictilem ſtatuam, quam Tarquinii Priſci aevo Turianus a Fregellis accitus fecerat, memorat Plinius lib. XXXV. c. 12. *Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiae nomen in urbe retinet: hae enim tum effigies Deum erant laudatiſſimae.*

XIII.

PROTOME VENERIS.

VEnerem deſignat in hac Lucerna capitis corona, qua recens nata ab Horis redimita eſt, teſte Homero hymno 11. *in Venerem*, & dexterum ſidus, quod nulli ex Deabus, ſi illam excipias, attributum eſt.

Accedit praeterea in toreumate Romani artificii, quod ſub aſtri ſymbolo potiſſimum Romanorum numen Caeſar deſignatur, qui Veneris beneficio in ſtellam converſus eſt. Sic enim Juppiter Venerem alloquitur apud Ovid. *Metam.* lib. XV.

Hanc animam interea caeſo de corpore raptam
Fac jubar, ut ſemper Capitolia noſtra, forumque
Divus ab excelſa proſpectet Julius aede.

& deinde

. . . . . nec in aera ſolvi
Paſſa recentem animam caeleſtibus intulit aſtris . . . . . .
Stella micat.

Cir-

Circulus, ut videtur, gemmatus, qui e ſiniſtra ſuffixus eſt, ad ea monilia fortaſſe pertinet, quibus ſaepiſſime haec Dea ad illecebras exornata eſt. Neque a propoſito alienum erit dubitare, an hic cingulus ille referatur, quo validiſſimo ſubſidio Deos demulcebat, quodque Junonem a Venere mutuatam ad Jovem alliciendum narrat Homer. *Iliad.* Ξ

Dixit, & a pectoribus ſolvit acu pictum cingulum
Varium; in eo autem omnes illecebrae ei factae ſunt;
Illi ineſt quidem amor, ineſt autem deſiderium, ineſt colloquiũ,
Blandiloquentia, quae decipit mentem valde etiam prudentem:
Hoc ei impoſuit manibus, verbumque dixit, & compellavit:
Accipe nunc hoc cingulum, tuoque impone ſinui,
Contextum varie, in quo omnia facta ſunt: neque te puto
Irritam redituram in eo, quod mentibus tuis cupis.

XIV.

PROTOME VENERIS ANADYOMENES.

VEnerem e mari progenitam, & concha exceptam veterum fabulae, & toreumata teſtantur. Hinc Tibullus lib. 3. *Eleg.* 3. v. 34.

Et faveas concha Cypria vecta tua.

Et apud Statium, Venus ait de formoſa muliere:

Haec eſt caeruleis mecum conſurgere digna
Fluctibus, & noſtra potuit conſidere concha.

Hoc exprimere voluit Sigillator, qui Veneris Caput concha comprehenſum in hac Lucerna exhibuit. Fateor tamen ſarcophagos, praeſertim poſterioris aevi, frequenter virorum, aut mulierum, quandoque amborum ſimiles imagines, concha incluſas, continere. Cui conſuetudini fortaſſe alluſit Lucernae artifex, quum ceteroquin conchae ipſae frequentiſſimum mortis ſymbolum ſint, & tranſitus ad beatorum inſulas.

XV.

XV.

VENUS EX BALNEO PRODIENS.

VEnerem e balneo prodeuntem, atque unguentariae urnae innitentem, qualis hac in Lucerna optimo ducta ſtilo repraeſentatur, plures referunt veteres ſtatuae, quae Romae adhuc viſuntur. Saepius quidem lotam Venerem tradunt Auctores. Sic, priuſquam Paridis ſeſe judicio ſubjiceret, in Scamandro flumine eam ſe laviſſe docet Euſtathius in M. *Iliad.* qui fluvius inde Xanthus appellatus eſt. Iterum quum ad Anchiſem, occultata divinitate, accedere meditaretur, ut mater Aeneae fieret, in Cyprum ſe contulit;

Ibi autem Gratiae laverunt, unxerunt oleo
Immortali, qualiter Deos convenit ſemper exiſtentes:

Ita Homerus *hymno in Venerem* 1.

XVI.

VENERIS SIMULACRUM FICTILE.

HOc Veneris Sigillum ornant conſueta corona, ſolidae in brachiis armillae, & concinnae in pulſibus torques. Haec, & ſimilia ornamenta, quum ad Anchiſem perrexit, ſecum detulit; qui

Ornamentum quidem illi primum a corpore abſtulit lucidum,
Fibulaſque flexibiles, helicaſque, calycaſque, & monilia,
Solvit autem & illius zonam,

ut fabulatus eſt Homerus *hymno in Venerem* 1. Simulacrum hoc typo effictum ex iis fuiſſe puto, quae ipſi Veneri a nupturis Virginibus donabantur, quas *pupas* vocat Perſ. *Sat.* 2. *verſ.* 69.,

Dicite Pontifices in ſacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatae a virgine pupae.

Quas quidem pupas, non ludicras imagines, ut quidam Scho-

Scholiaſtes opinatus eſt, fuiſſe reor (nam a templi ſanctitate omnino ablegatas fuiſſe credo) ſed ipſiusmet Veneris imagunculas, ex iis profecto, quae in Deorum templis ex marmore, aere, & argilla, offerri, ac dedicari ſolebant, & parerga, ſeu donaria vocabantur, fretus auctoritate Lactantii Firmiani *Inſtitution.* lib. 11. cap. 4. qui eundem Perſii locum adducens, atque explicans, ait : *ſimulacra ipſa, & effigies Deorum ..... nihil aliud eſſe quam grandes pupas ..... Ergo his ludicris, & ornatis, & grandibus pupis, & unguenta, & thura, et odores inferunt ; his opimas, et pingues hoſtias immolant.* Hoc ſigillo ad me Roma delato, plura hujuſmodi in luco ſacro veterum Piſaurenſium fictilia reperta ſunt, inter quae, puellae frondibus coronatae, quae columbam manu tenent.

XVII.

JUDICIUM PARIDIS.

JUdicium Paridis de pulcherrima Dearum refert elegantiſſima haec Lucerna, quum ille

Contemſit Deas, quando ejus ad tugurium iverant ;
Namque laudavit, quae ei praebuit libidinem triſtem,

ut ait Homer. *Iliad.* Ω.

Nudas fuiſſe Deas communiter ajunt, quum ejus judicio ſeſe ſubjecerunt, Ovidio teſte, Epiſt. v. *Oenones Paridi* v. 34. & 35.

Qua Venus, et Juno, ſumtiſque decentior armis
Venit in arbitrium nuda Minerva tuum:

& Epiſt. 17. *Helenae Paridi* v. 115. & 116.

At Venus hoc pacta eſt : et in altae vallibus Idae
Tres tibi ſe nudas exhibuere Deae.

At vero quia

Regna Jovis conjux, virtutem filia jactat,

uti Paridem Helenae ſcribentem inducit Ovidius Epiſt. 16. v. 81. putarunt Etruſci, ac Romani duas haſce non nudas, ſed ſolito cultu indutas ad judicium acceſſiſſe, atque ita eas effinxerunt. Quod fortaſſe ſigillatoris cura ſpectavit

quum

ita eas effinxerunt. Id forte ſigillatoris cura ſpectavit, quum Venerem nudam, ceteras cultu ſolito ornatas, ad diſcrimen tollendum, expreſſit.

XVIII. XIX.

VENERIS SYMBOLA.

ANimalia, quibus Deorum poteſtas ſignificabatur, frequenter in iis, quae ſuperſunt, vetuſtatis monumentis, occurrunt, Deorum ſuorum munera indicantia. Venerem hortorum habitam cuſtodem memorat Plin. lib. 19. cap. 4. Plautum teſtem adducens. Itaque illi primitias hortuli, poma, & uvas in calatho oblatas dominae ſuae vice delibant Columbae, quas Veneri ſacras fuiſſe Plutarchus etiam teſtatur *de Iſid. & Oſirid.*, earumque miniſterio per aera vehebatur. Ovid. *Met.* 15.

Perque leves auras junctis invecta Columbis
Littus adit.

Inferne lepores pomorum ſtruem depaſcuntur; quippe par erat, ut matris ſymbolis filii hieroglyphica accederent. Nam Cupidini ſacer fuit Lepus, cujus rationem a nominis etymologia repetit Euſtathius in A. *Iliados*. Cenſet enim hoc factum, quod λαγως & ερως απο του ορειν pariter deſcendunt. Fortaſſe & indoles ejus beſtiolae maxime in libidinem proclivis in cauſſa fuit, cur Cupidini ſacraretur.

XX.

CUPIDO, ET PSYCHES.

CUpidinis, & Psyches nuptias, quae Mythologorum arcanis commendantur, ſertum ſuperne demiſſum exornat. Namque hoc erat januae decus, ubi ea ſolemnia celebrari contingeret. Catull. *in Argon. v.* 293.

Veſtibulum ut molli velatum fronde vireret.

& Juvenalis Sat. VI.

Ornatas paullo ante fores, pendentia linquit
Vela domus, & ad haec virides in limine ramos.

Diſ-

Difficile eſt profecto definire quaenam ſint minutula illa poma, quae foliis intexta ſunt, niſi forte nuces repraeſentent, quae nuptiarum die diſtribuebantur. Catullus *in Epithalam.*

Da nuces pueris, iners
Concubine. ſatis diu
Luſiſti nucibus. lubet
Jam ſervire Thalaſſio.
Concubine, nuces da.

Haec Lucerna facile inter Sepulcrales ableganda eſſet, quippe fabula Cupidinis, & Pſyches poſt caſus varios divinitate donatae, nihil, niſi animae futuram aeternitatem indicabat; hinc tam frequenter in ſarcophagis occurrit. Verum, quum perſpectum habeamus non ſemper in Lucernarum uſu eum habitum fuiſſe delectum, ut quaeque Lucernae propriis earum uſibus, & qui ornamentis ſuis reſponderent, adjicerentur (quum in ſepulcris ſacrae, domeſticae, votivae demum, & feſtivae inveniantur, corruptis maxime moribus, ſive mavis ex inſcitia ſervorum, quibus cura erat Lucernas ſtatis temporibus apud tumulos excitandi, ſive etiam vulgi incuria, qui uſibus ſuis domeſticis quot quot ad manus venirent Lucernas adhibebant) ideo conveniens viſum eſt hanc, de qua agimus, proferre hoc loco.

XXI.

CUPIDINIS EXPIATIO.

QUum Deorum pene omnium imagines Lucernae contineant, par erat Cupidinem quoque ipſum exprimi in Lucerna, quae Amoris ſimulacrum a Muſaeo appellatur *de Herone, & Leandro.*

Dic Dea occultorum teſtem Lucernam amorum....
Lucernam annunciantem nuncium Veneris....
Lucernam Amoris ſimulacrum, quam debuit aetherius
Juppiter
Nocturnum poſt officium ducere ad conſortium aſtrorum,

Ac ipſam appellaſſe ſponſas - ornantem ſtellam amorum.
De expiationibus, quae per ignem fierent, actum ſupra in Hercule.

XXII.

CAPUT MARTIS.

MArtis armati ſpeciem pectore tenus exhibet Lucerna noſtra, quem alioqui nudo pectore in nummis, & ſimulacris videmus. Verum cultus iſte Martem maxime decet; illum enim armis indutum rapraeſentat Homer. *Iliad. O.*

*Ipſe autem (*Mars*) induebat arma praefulgentia;*
Atque illum inſtructum armis, χαλκοκορυστα, vocat idem Homerus *in hymn.*, atque Nonnus.

Martis galea, duplici plumarum ordine inſignis, cauda equina exornatur. Hujuſmodi galeam Homerus deſcribit *Iliad. T.*

Capiti autem in forti galeam bene factam poſuit
Cauda equina ornatam: graviter autem criſta deſuper nutabat.

Martem quoque loricatum inducit Statius bellum inter Etheoclem, & Polynicem excitantem, loricamque ipſam deſcribit monſtroſis animalium rictibus ferociter ornatam. Haec loricarum inſignia ab Imperatoribus uſurpata teſtantur, fracta licet, eximia tamen ſtatuarum Imperialium fragmenta, quae Foro Sempronii in Praetorio, atque Urbini in viridario Ruvereo adſervantur. Duplex plumarum ordo, qui thoracis oram ambit, totidem monſtra ſervat, gryphum, elephantum, hircum, leonem, &c.

XXIII.

MARS GRADIVUS.

G*Radivus Mars appellatus eſt a gradiendo in bella ultro, citroque, ſive a vibratione haſtae, quam Graeci* κραδαινειν, *vel*

vel, *ut alii dicunt*, *quia gramine ſit ortus*. Ita Serv. *in primum Aeneid.* 296. Haſtam vibrat dextera, unde ab Homero *in Hymno haſta valens* appellatur: ac de eo rurſus Claudianus *de Magnet.*

qui cuſpide verberat urbes.

Verum, quum in nummis Hadriani hoc ipſo habitu *Romulus Conditor*, vel *Romuli Conditoris* nomine Hadrianus ipſe repraeſentetur, exiſtimabam olim Lucernae noſtrae typum *Romulo Conditori* adſignandum eſſe. Neque ab hac me opinione removebat, quod in Lucerna imberbis figura ſit, barbatus vero Romulus fere ſemper exhibeatur: arbitrabar enim Romanos aetatem illi, ac vultum militiae accommodatum tribuiſſe, quum caſtrenſi habitu repraeſentarent; quum vero paganico, ſenem, atque ore, capilloque curiae dignitatem referentem exhibuiſſe. Sed tutius eſt Marti Gradivo Lucernam adſcribere, qui hoc plane habitu ſemper figuratur.

Parergi loco lupinum caput adjecimus, unum ex quattuor, quae ex argilla ſummo artificio elaborata nuper ad me Roma miſſa ſunt; cujus imaginem Marti ſubjeci, quod hoc illi animal propter rapacitatem cariſſimum habitum ſit; Quapropter *martium* appellavit Virgilius *Aeneid.* IX. Capita iſta collo tenus effracta, neſcio an vaſibus pro anſis eſſent; quibus disjectis, reliquiae iſtae ſelectae ſint: ſeu potius ita fabrefacta eſſent, ut villarum, & caularum oſtiis praefigerentur. Docet enim Plinius lib. XXVIII. cap. 10. veneficiis rictum lupi reſiſtere, atque ob id villarum portis, ut maleficia averruncarent, praefigi conſueviſſe. Quum vero in tanta hominum frequentia, atque agrorum cultu rariores lupi haberentur, quorum aridae cervices maleficiis territandis ſuſpenderentur, ficta haec fortaſſe ſubſtituerunt, & venerati ſunt, eo prorſus modo, quo ceterorum ſacrorum animalium imagines, per quas Deorum Praeſidum divinitatem ſignificari autumabant.

XXIV.

GENIUS MARTIS.

IN veterum Lucernis non infrequens eſt typus iſte, quo Genius quandoque alatus, interdum vero alis deſtitutus (utroque enim modo Deorum Genios effingebant) tropaeum praefert, vel humeris hoſtium ſpolia ad inſtar Martis Gradivi, trunco ſuffixa geſtat. E multis, quae in Muſeo noſtro aſſervantur, unum hoc exemplar ſelegimus, ut Marti famulum adderemus. Vix enim Numina fuiſſe puto, quorum Genii reſpondentibus ſymbolis conſpicui non obſerventur. Siquidem mos iſte a ſollemni illa diſciplina deductus eſt, qua veteres Mythologi tradiderunt, Divinam rationem ad ſe ſe homini communicandam nequaquam aptam fuiſſe, niſi intermediae quaedam poteſtates, diſſimiles illas conciliarent naturas, atque nunciorum inſtar, hominum benefacta, potiſſimum vero in ipſos Deos officia, ad ipſos deferrent: rurſus vero Deorum beneficentiae munera ad homines referrent: quae omnia priori libro indicata, in *Acherontico* meo, qui quamprimum, Deo adjutante, in lucem prodibit, fuſius pertractata ſunt.

At Poetae, quibus, neſcio quo artis ſiniſtro fato, Deorum maximus eſt Amor, doctrinam illam nobis ſubinde fabulis corruperunt, atque Amorem ipſum omnia Geniorum officia obeuntem commenti ſunt, tanquam de Diis ſingulis triumphum ageret. Hic venit in mentem elegantiſſimum Epigramma de Cupidine tropaea geſtante in *Anthologia* lib. IV. cap. 12.

Aſpice, ut exuviis Divûm laetentur Amores,
Utque ferant humeris rapta tropaea ſuis.
Tympana cum thyrſo Bacchi, tum fulmina Summi,
Splendentem galeam, ſcutaque Martis habent.

XXV.

XXV.

MARTIS SYMBOLA.

GAlea, & enſis facile inter Martis ſymbola reponentur, quum plerumque ſolis hiſce armis indutus ille repraeſentetur. In caſſide Triton buccinam inflat, quod ad Gigantomachiae fabulam referri ſuperiori volumine diximus. In veterum galearum cono, & lateribus quandoque Victoriae exultantes, ut ibi in Lucerna Palladis, aliquando ipſae in quadriga, Tritones, Pegaſi, Dracones, Sphinges, & ſimilia occurrunt. Haec ſymbola non ad ornatum tantum, aut ad terrorem incutiendum indita puto, ſed ex quadam veluti religione, qua haec animalium prodigia pugnantibus opitulari credebantur. Hinc apud Statium

Sphinx galeae cuſtos,

Thebaidos x.; illa enim veluti galeae, totiuſque armaturae *tutela* putabatur. Haec autem monſtra ex Diis progenita, vel poſt interitum, in inferis aeternum vivere judicabantur: quare ſcitiſſime Virgilius *Aeneid.* VI. v. 286.

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllaeque biformes,
Et centum geminus Briareus, & bellua Lernae.

Theocritus quoque in *Hercule leonis interfectore* de Leone Nemaeo caeſo ait:

Animam autem ingentem excepit infernus.

Gladium, veluti Martis imaginem a Scythis, & a Sauromatis adorari, tradit D. Clem. Alex. *admon. ad Gentes*, Solin. lib. LXX, & Pomp. Mela. lib. II. cap. I. Atque per hunc Scythas jurare narrat Lucian. *in Jove Tragoedo;* quod idem de Alanis tradit Ammian. Marcell. lib. XXXI.

XXVI.

GENIUS EXERCITUS.

GEnios Exercituum novimus ex Nummis: par enim erat, ut poſtquam Auguſtis, Senatui, Populoque

que Romano ſuus Genius tributus erat, Exercitus etiam, qui alteram Romani Imperii poteſtatem continebat, Genio peculiari honoraretur. Sed quid miramur de Exercitu, Senatu, & Auguſtis, cum portis, domibus, thermis, ſtabuliſque ſuos conſueſſent adſignare Genios? quod Prudent. *contra Symmachum* 2. 444. deridet.

XXVII.

CARTHAGINIS SYMBOLA.

MArti adjecimus victae Carthaginis ſymbola, equinum caput, lancea obverſa inſignitum. Tale prorſus ejus Urbis inſigne in nummis occurrit, quorum nonnulli nuper muſeo noſtro acceſſere, & quorum plura retulit Ant. Auguſtinus *dial.* 6. Ratio hieroglyphici a Virgilio expetenda eſt *Aen.* 1. v. 445.

Lucus in urbe fuit media, laetiſſimus umbra,
Quo primum jactati undis, & turbine Poeni
Effodere loco ſignum, quod Regia Juno
Monſtrarat, caput acris equi: ſic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per ſaecula gentem.

Inde ejus punicum nomen adſtruit idem Auguſtinus; quum enim a Stephano de urbibus KAKKABH dictum ſciamus, caput equi eorum lingua ſignificare idem autumat. Qua tamen ratione ductus, ignoro, niſi deſumendum putaverit a radice גבה Gaba, quae calvariam ſignificat; illud nempe *caput acris equi*, quod Virg. *Aen.* 1. a Didone inventum in urbis ſuae fundatione tradit. De hoc vero aliter ſenſi in *Epiſt.* VI. inter meas Roncallienſes ad Cl. Oliverium datas, in qua kakaba eſſe putavi ipſum עקבי hhachebi, quod veſtigium pedis ſignificat, ſcilicet idem ipſum quod ταρσος, aliud ejuſdem urbis nomen, Graecis ſonat. Lancae cuſpis cernitur in altero ex punicis nummis apud eundem Auguſtin. quam tamen, propter ſimilitudinem, tritici granum putavit: at nos dubitare non ſinit hujus Lucernae typus, in quo mucro manifeſtiſſimus eſt. Tritici grana vix in ullo reperiri nummo arbitror; quum fere idem ſymbolum per ſpi-

cas

cas expreſſum videamus. At lanceas habent nummi plurimi, virtutis bellicae ſignum, quod apprime Afris conveniebat. Ceterum ejus forma ejuſmodi eſt, ut in mucronem recta ferrum non deſinat, ſed utrinque anciſum, & cavatum ſit, quale protulit Fabrettus *Col. Tra.* pag. 180. Ephippii mollities antiquae Romanorum ſeveritati pene ignota fuit. Cato *de lib. educandis* apud Nonium lib. 1. *Mihi puero modica una fuit tunica, & toga, ſine faſciis calceamentum, equus ſine ephippio.* Hujus tamen in re militari uſum Caeſaris aevo coepiſſe conjicimus ex eodem Caeſare *de bello Gallico* l. IV. c. 2. *Nihil Germanorum moribus turpius, aut inertius, quam ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis pauci adire audent.* Quod haud recte, ut videtur, Dio ad Neronis tempora retulit. lib. LXIII.

XXVIII.

EQUES.

EXimii operis toreuma, in quo miles pedes incedens equum manu ducit, evulgatum eſt Tom. III. t. 79. Muſei Florentini, in cujus illuſtratione praeclariſſimus Gorius conjecturam ſuam, mihi maxime probatam, protulit, evulſum nempe illud eſſe ex aliquo veteri ſepulcro; cujuſmodi videre eſt in alio veteri ſepulcro adhuc ſuperſtite in via Tiburtina, quod delineatum obſervatur inter ſepulcra Sanctis Bartoli Tab. XXXXVII. in quo ingens toreuma cernitur, Florentino pene reſpondens: ſi excipias, quod in hoc poſtremo Eques nudus eſt, qualem Lucerna noſtra exhibet. In eo ſiquidem pollebat ſculptorum licentia, eorum praecipue, qui Graecos modos e Graecis exemplaribus imitabantur, ut arbitrio quiſque ſuo Romanum hominem Heroum more nudum figurarent. Quin & in duplici gemma (altera clariſſimi Oliverii mei, altera, quam ex Muſeo noſtro depromimus, quasque excudendas curavimus) bini milites pari geſtu procedunt; alter quidem a dextera in ſiniſtram, ut reliqui; in gemma vero mea e ſiniſtra in dex-



dexteram . Denique parem exhibet caerimoniam nudus Eques in pictura Etruſca eximii operis apud Dempſterum Tab. XXVIII. In nummo P. Licinii Craſſi argenteo , qui in praefati Oliverii Muſeo lectiſſimo integerrimus ſervatur , miles veſtitus cernitur , uti & apud Fabrettum *Col. Trajan.* pag. 226. . Quomodo vero res ſe haberet in ſepulcrali toreumate Albani Vitalis , de quo exſtat inſcriptio apud Gruterum pag. DXIX. num. 7. nequaquam compertum nobis eſt , propterea quod in ſchedis Pighii praetermiſſum fuit . Ejus tamen loco haec adſcripta obſervantur . *In eo miles dextera equum freno retinens , laeva colligata haſtilia , adjacente ſcuto.* Quod quidem poſtremum equeſtris militiae geſtamen toreumati huic noſtro congruit , in quo miles parmulam brachio gerit . At in pictura Etruſca , utpote quae antiquiorem ſecuta eſt morem , ſcutum coriaceum cum parazonio ſepoſitum pendet. Ex ipſa vero parmulae figura , quae velitum propria erat , militiae genus diſtinguitur : ita enim Livius lib. XXVI. *Gladiis a velitibus trucidabantur.*

Caerimonia , quae in allatis adhuc ſculpturis repraeſentatur , & a quibuſdam pro *tranſvectione* uſurpatur ; ſi vocis proprietatem ſpectes , nihil aliud refert , quam *cenſionem* ſeu proceſſum illum , quo ad Cenſorum tribunal equites equum manu ducentes procedebant : quos quidem probatos, Cenſores ſinebant abire ; ſi vero quid vitii deprehendiſſent , equum adimi , aut divendi jubebant . Solebat id quidem ſingulis luſtris fieri , ejuſque rei exempla quamplura nobis ſuppeditantur a Livio lib. XXXIX.

44. a Suetonio *in Caligula* cap. 16. num. 5. atque a pluribus aliis . Primo quidem id a Cenſoribus fieri conſueverat , deinde Conſules id officii uſurparunt , uti ex veteri Perſii *Scholiaſte* colligitur *Sat.* III. verſ. 29. Aſt ubi Imperatores omnia in ſe Reipublicae munia contulere , hoc item ſibi ſumſere , ut ex eodem Suetonio *in Aug.* c. 38., & *in Calig.* conſtat ; ſed *tranſvectio* toto caelo diſtabat . Annua ea pompa erat , qua equites, non ambulantes , ſed equis inſidentes quotannis idibus Quintilibus ab aede Honoris in capitolium olea coronati procedebant . Diu manſit in Republica mos iſte , a Quinto Fabio Rulliano , uti tradit Livius lib. IX. 46., & Aurelius Victor cap. 32. , inſtitutus ; ſed Valerii Maximi aevo jam in deſuetudinem abierat , ſicuti ex ejus libro I. colligitur. Uſurpatum tamen *tranſvectionis* nomen pro *cenſione* quandoque vidi apud doctos viros, praeſertim apud Sigonium, quem reprehendit Roſinus *antiquit. Roman.* lib. IV. cap. II. Imo, ſi varium in Urbe morem pro temporum viciſſitudine perpendamus , facile reperiemus cenſionem cum tranſvectione confuſam . Siquidem obliterata jam tranſvectione illa annua , quae tantummodo pompae gratia celebrabatur , accidit , ut , quum Imperatores equeſtrem recenſerent militiam , tranſvectionem facere dicerentur : inde Suetonius *in Auguſto* loco citato : *Equitum turmas frequenter recognovit , poſt longam intercapedinem reducto more tranſvectionis . Sed neque detrahi quemquam in tranſvehendo ab accuſatore paſſus eſt , quod fieri ſolebat ; & ſenio, vel aliqua corporis labe inſignibus permiſit , praemiſſo in ordine equo , ad reſpondendum, quoties citarentur , pedibus venire .*

XXIX.

ARIETARIUS.

IN hac elegãtiſſima Lucerna Arietarius miles arietem teſtudine protectum , rotiſque inſtructum cuſtodit , ac dirigit . Hoc tormentum , ad irati exemplum *pecoris capite* ſe *vindicantis* , a Carthaginenſibus inventum fuiſſe tradit Ter-

tullianus cap. 1. *de Pallio*; utque nomen ſortitum eſt ab ipſo uſu, ita par nomini ornamentum. Joſeph *de bello Judaico* Lib. III. c. 9. *Aries trabs eſt praegrandis, malo navis aſſimilis, cujus ſummum gravi ferro ſolidatum eſt arietis effigie fabricato, unde nomen accepit*, & paulo poſt, *quatit muros prominulo ferro*. Tale prorſus hoc noſtrum eſt, nempe acuminata fronte, ut graviori impetu diſcuſſis muris, ruinam faceret.

Pluribus modis aries agebatur, quos omnes quum ſcitiſſime recenſeat Vitruvius lib. x. 19. operae pretium erit integrum illius ſcriptoris locum, quamvis longiuſculum, deſcribere: *Primum ad oppugnationes aries ſic inventus memoratur eſſe. Carthaginenſes ad Gades oppugnandas caſtra poſuerunt; quum autem caſtellum ante coepiſſent, id demoliri ſunt conati; poſteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, ſumſerunt tignum, idque manibus ſuſtinentes, capiteque ejus ſummum murum continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines dejiciebant, & ita gradatim ex ordine totam communitionem diſſipaverunt. Poſtea quidam faber Tyrius nomine Pephaſmenos hac ratione & inventione inductus, malo ſtatuto ex eo alterum tranſverſum uti trutinam ſuſpendit, & in reducendo & impellendo vehementibus plagis dejecit Gaditanorum murum. Cetras Chalcedonius de materia primum baſim ſubjectis rotis fecit, ſupraque compegit arrectariis, & jugis varas, & in his ſuſpendit arietem, coriiſque bubulis texit, uti tutiores eſſent qui in ea machinatione ad pulſandum murum eſſent collocati; id autem quia tardos conatus habuerat, teſtudinem arietariam appellare coepit.*

Haec omnia, & alia plurima ad veterem oppugnationem, atque propugnationem pertinentia, imaginibus calamo exaratis videre eſt in veteri MS. noſtri Muſei, in quo quidem quam ſcite, quamque ingenioſe machinae plures, alioqui ignotae, expreſſae ſint, vix explicari poteſt. Centum, & amplius ſchemata continet, trecentis, ut videtur, ab hinc annis delineata, ſeu potius ex antiquiori codice deſcripta; multa enim ex imperitia pictoris rudiuſculi errata irrepſerunt, quae tamen vel ab iis, qui ſtaticae ſtudiis initiati ſunt, facile emendantur. Libri hujus exemplar ad urbis noſtrae Principes Sfortiadas pertinuiſſe comperimus, quum

quum eorum insignia non uno in loco reperiantur, neque ambigo, ab aliquo rei militaris, & staticae peritissimo, ad aliquem ex praefatis Principibus erudiendum, concinnatum fuisse.

XXX.

CENTURIO.

CEnturionis imaginem ostendit hac in Lucerna insigne vitis, quam is ad regimen designandum manu tenet. Plin. Lib. XIV. 1. *Centurionum in manu vitis opimo praemio tardos ordines ad lentas producit Aquilas.*
Inde Lucanus Lib. VI. v. 145.

..... ibi sanguine multo
Promotus Latiam longo fert ordine vitem.

Hanc militaris potestatis notam ab Etruscis sumtam esse, unde plurima militiae instituta profecta fuerunt, primus ego animadverti. In ejus Gentis picturis, quibus vasa, quae supersunt, decoravere, nihil frequentius occurrit, quam homines, qui pallio involuti ad aram accedunt, dextera intortam vitem gerentes, qua personae decus designaretur. Spectabilia praeterea sunt apud Dempsterum Tab. LXXII. toreumata quaedam rudiori stilo elaborata, quibus forte referuntur Ducum, aut Lucumonum imagines, quae dextera hastam, sinistra vero vitem, illamque frondentem gerunt; additis inscriptionibus, in uno ex saxis, Lartis Memii, in altero vero Mutii Titi, vel Titii, nisi characteres, eo in loco valde consumpti, me fefellerint.

XXXI.

RUDIARIUS.

QUae hoc loco exhibetur Lucerna, inter militares praeter votum irrepsit, quum potius inter alias, quae ad spectacula pertinent, referre in animo habuissem: in ea enim veteranum gladiatorem repraesentari existimo, qui ru-

de donatus, muneris bene gesti testimonium ostentat. Rudis erat virga impolita, seu bacillum ligneum, quo gladiatores, quibus permissum erat a gladiatorio munere cessare, donabantur. Inde tritum illud Horatii lib. 1. ep. 1.

Spectatum satis, & donatum jam rude.

Huc fortasse referenda est alia Lucerna Sanctis Bartoli, in qua exhibentur gladiatores duo decertantes, quos inter medius certaminis Praefectus, gemina illis oblata rude, non tantum pugnam dirimere videtur, sed hoc etiam virtutis testimonio emeritos condecorare. Qui plura videre cupit, adeat Justum Lipsium *Sat. Serm.* Lib. 1. cap. 15., & Lib. 11. cap. 23. ubi de duplici rude doctissime, ut cetera, disserit.

XXXII. XXXIII.

MILITES.

DUo equidem, seu Imperatores, seu Tribuni, thorace instructi in duabus hisce Lucernis exprimuntur. Nihil in illis peculiare, nisi operis decor, & stili venustas. Alter scipionem attollit, quo Consules primum, deinde Imperatores, praesertim posterioris aevi, uti solebant: hic eburneus erat, aquilamque in summitate habebat. Aquilam in Lucernae typo deesse haud miror, quum minutiora haec ornamenta, ob operis difficultatem, etiam in Trajani columna, a sculptore omissa notaverit Fabrettus *in ejus illustrat.* cap. 7. pag. 227.

Potest etiam aliquis hic repraesentari ex Imperatorum filiis, qui Principes Juventutis primum inaugurabantur, & ejusmodi habitu, virgaque insignes exprimebantur, uti nummi evincunt.

XXXIV.

VULCANUS.

FOrceps, & pileolus laconico more acuminatus Vulcanum prodit. Eadem omnino Vulcani imago occurrit

in

in nummis gentis Aureliae, niſi quod barbatus ille ibi ſit, pileoque laurea ornato decoretur. Haec vero inſignia, forceps nempe, atque pileolus, item coronatus, incudini impoſita in nummo Cariſiae gentis obſervantur. Numen iſtud ab ipſis Urbis incunabilis Romae cultum diſcimus ex Varrone lib. IV. *de Ling. Lat. Sabinorum*, ait ille, *linguam olent, quae Tatii Regis voto Romae ſunt dedicata. Nam, ut annales dicunt, vovit Opi, Floraeque, Dijovi, Saturnoque, Soli, Lunaeque, Volcano, Summanoque.* Hujus pileoli ſignificationem prodidit Euſebius III. *de praep. Evang.* c. 11. *Vulcani ſimulacro humana effigie figurato pileum impoſuere caeruleum, quo ſignificarent caeleſtem converſionem, ubi ignis eſt primigenius, & ab omni faece puriſſimus.*

XXXV.

CYCLOPES.

OPportunus eſt Virgilii locus *Georg.* IV. verſ. 173. ad hanc elegantiſſimam Lucernam illuſtrandam.

..... gemit impoſitis incudibus Aetna:
Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe maſſam.

Cyclopes tres numerat Heſiodus *in Theogonia* e Caelo, & Terra natos.

Brontenque, Steropenque, & Argen forti animo praeditum.

Tres quoque Apollodorus Lib. I. *Bibl.* in principio. Sed Arpen tertium vocat; *Vaſtos Terra e Caelo Cyclopes peperit, Arpen, Steropen, Bronten.* Virgilius vero *Aeneid.* VIII. Pyracmonem ſubſtituit, v. 424.

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
Bronteſque, Steropeſque, & nudus membra Pyracmon.

Horum nominum rationes prodit Servius in VIII. *Aeneid.* v. 425.

XXXVI.

BACCHI PROTOMES.

SUperiori volumine obſervavimus, ſaepe in vetuſtis monimentis tractandis plures ejuſdem typi imagines occurrere: eas enim, quae ab inſigni aliquo exemplari deductae erant, artifices modo in gemmis, modo in ebore, modo in aere, aut marmore, nec raro etiam in argilla, exprimebant. Id prorſus contigit in hac Bacchi protome, quae bene utranque comparanti, eadem plane eſt, atque illa aerea, quae habetur apud Chauſſeum *Simulac. Deorum* tab. 2.; niſi quod ibi diademate caput revincitur, hic vero qua parte pampini capiti inhaerent, contortum, fortaſſe capillorum volumen viſitur. Hic capitis ornatus, qui tribus fere aſſurgentibus pampinis conſtat, nequaquam peculiaris eſt Baccho. Sigilla aenea Larium, ſeu Geniorum Etruſcorum hoc ornamento decorantur, ob eandem prorſus cauſſam, propter quam copiae cornu illis tribuebatur, quia nempe vim retinerent rerum omnium gignendarum, ut docet Feſtus.

XXXVII.

BACCHUS CORNIGER.

BAcchus in ſuperiori Lucerna expreſſus eſt, qualis ab Ovidio IV. *Metam.* deſcribitur:

. . . . . *Tu formoſiſſimus alto*
Conſpiceris caelo.

Hic vero corniger, ore truculento, atque minaci effingitur. Differentiam idem Poeta loco allato deſignavit.

. . . . . *Tibi, cum ſine cornibus adſtas,*
Virgineum caput eſt.

Cur vero cornua illi tribuerentur docet Feſtus; *Cornua Liberi Patris ſimulacro adjiciuntur, quem inventorem vini dicunt, & quod homines nimio vino truces fiant, ut belluae*: ſeu, ut Phyſici volunt, quia quum igne genitus dicatur, flammae aſſurgentis apices cornibus imitetur. Hinc apud Orpheum

in

in Hymnis eſt ταυροκερος, & δικερος, taurocorniger, & bicornis; illumque *inventum in ſcopulis cornutum infantem* a Corybantibus fabulatur Nonnus *Dionyſ.* Lib. XII.

Faces ad ejus nocturna orgia referuntur, quas ſplendentibus taedis celebrari noctu conſueviſſe, notum eſt in ſacris. Unde Phauſterius appellatur a Lycophrone, quod facibus uteretur: itemque Nyctelius, quia nocte ejus ſacra perficerentur, & igne lucens ab Orpheo. Hae vero taedae illi arma fuerunt, quum adverſus gigantes pugnavit, ut tradidit Nonnus XLVIII. *Dionyſ.*

Et igne pugnabat Bacchus in aera lampada jactans
Hoſtium interemptricem, per altigradam vero viam
Bacchiaca per ſe voluta currebat ſaliens flamma,
Membra percutiente ſcintilla, irruens in gigantes.

XXXVIII.

BACCHI BIGA CENTAURIS VECTA

QUum Lucerna haec idem fere argumentum contineat, quod inſignis gemma Muſei Carpinei, quam doctiſſimus Bonarrotius illuſtravit, nil prorſus eſt, quod tanti viri opibus ſuppetias feramus: quare liber ille adeundus eſt.

XXXIX.

BACCHUS ΑΚΡΑΤΟΦΟΡΟΣ.

ITa in Phigalia Arcadiae oppido vocatus eſt Bacchus, ut refert Pauſanias *Arcad.* quaſi meri portator; quo etiam nomine vas ad merum miniſtrandum dictum eſt. Hac autem appellatione nuncupare praeſentem ejus effigiem non dubitavimus: ſiquidem ad vini inventum oſtendendum ex diota in cantharum infundere vinum videtur. Adſtat tigris ejus pompae ſocia. Rationem reddit Tibullus lib. III. eleg. 6.

Armenias tigres, & fulvas ille leaenas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.

XL.

XL.

BACCHUS DOLIO INSIDENS.

VEnuſtiſſima haec Bacchi effigies ſumma artis elegantia efficta, facile ex aliquo celeberrimo ſigno expreſſa eſt. Memini ſiquidem me non abſimilem imaginem, ex antiquo exceptam exemplari, vidiſſe inter plurimas ſtatuarum icones in aes inciſas. Corona ex roſis elegantiſſima Lucernam ambit. Nihil floribus Baccho familiarius, atque diſcumbentibus. Ovidius *Faſt.* v. v. 345.

Bacchus amat flores: Baccho placuiſſe coronam
Ex Ariadnaeo ſidere noſſe potes.

Quare Ἀνθίος floridus ab Athenienſibus, & Patrenſibus dictus eſt. Ita Pauſanias in *Achaic.* Catullus quoque *Carm.* LXIII. verſ. 251.

At parte ex alia florens volitabat Jacchus.

XLI.

GENIUS BACCHI.

BAcchi Genium teſtantur tum pampini, & uvae racemi in limbo Lucernae diſpoſiti; tum vero, quod alter ebrius alterum labantem totis viribus ſuſtinet. Nomen Genii Bacchici ſervavit nobis Pauſanias in *Attic.*. Acratus ille dicebatur, quod graece merum audit.

At quia Genii Deorum ſuorum officia exprimentes fingebantur, fortaſſe hic non Bacchi Genius exhibetur, ſed Sileni ebrii, atque cadentis, quem Genius alter regit; namque ſic fere ſemper Silenus exprimitur. Ovidius de *Art. Am.* Lib. II.

Ebrius ecce ſenex pando delapſus aſello;
Clamarunt Satyri, ſurge, age, ſurge Pater.

XLII.

DEA LIBERA.

BAcchi conjugem hic repraeſentari exiſtimo, quippe quae omnibus fere ſymbolis Bacchi viri ſui exornetur. Ita Ovidius III. *Faſt.* v. 515.

Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula ſumes;
Nam tibi mutatae Libera nomen erit.

De illa meminit Cicero de *Nat. Deor.* II. *Noſtri majores auguſte, ſanctèque Liberum cum Cerere, & Libera conſecraverunt.* Voſſius in v. *Delubrum* vocat eam Κορην.

XLIII.

LENA.

LEnae, Graecis λῆναι, Nymphae torcularium ſunt, quas tres memorat Theocritus in earum *Idyllio*; dictae a λῆνος torcular; unde λήναιος Bacchus vocatus eſt, λήναια feſta bacchica. Ejus itaque inſigne geſtat, amphoram vino reponendo aptam. Ipſa coronata eſt; capilli vero ſoluti ad humeros uſque dependent. Sic Bacchas deſcribit Ovidius *Met.* IV. v. 6.

..... crinales ſolvere vittas,
Serta coma, manibus frondentes ſumere thyrſos
Juſſerat.

XLIV.

BACCHA TYMPANISTRIA.

BAccha aeſtro Dei ſui concita, velum turpiter vento extollente, thyaſum agit, & pſallit, ac tympanum manu percutit. ſic apud Ovidium *Met.* IV. v. 29.

Femineae voces, impulſaque tympana palmis.

Hoc fere geſtu Baſſaridem in pugna adverſus Indos deſcribit Nonnus *Dion.* XIV.

Alia vero in manibus detenta ſaltu rabido
Manibus circum pulſans graviter trementia dorſa bubuli corii.

XLV.

BACCHI POMPA.

PLura ad Bacchi pompam ſpectantia in hac Lucerna obſervantur. Miniſter (fortaſſe Ampelus) nudus reluctantem arietem totis viribus trahit. Hoc inter myſteria Bacchi interfuiſſe ſcribit Plutarchus *de Cupid. divit.* ubi Bacchanale deſcribens ait: *tunc aliquis caprum trahebat*. Sidonius vero *Paneg.* VII. non caprum, ſed hircum tractum docet. *Ducebat olidae marem capellae:* & Virgilius *Georg.* II. ver. 395.

Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram.

Parerga circum diſpoſita orgiis alludunt. Cymbala loro ſuſpenſa pulſari ſolita in ejus comitatu refert Nonnus *Dionyſ.* XIV.

Cymbala quatiens graviter ſonantia duplici ferro.

In Bacchanalibus antiquis frequenter obſervantur; ita & tibiae, quae diſpares apparent. Eas inter Bacchi myſteria deſcribit Herodotus in *Euterpe*: *Praecedit autem tibia, atque illae cunctantes ſequuntur.*

Thyrſus, circa quem myſticus ſerpens volvitur, proxime ad pedum accedit. Ne tamen id temere a ſigillatore factum ſuſpicemur, animadvertere oportet Paniſcorum ſupellectilem in orgiis quoque frequenter adhibitam: ex quo enim coeperunt Satyrorum imagines in prodigioſis iis ſacris adhiberi, eorum item inſignia in eiſdem religio haud reſpuit.

Herma quoque Bacchica in hiſce toreumatibus ſaepiſſime occurrit: nam illam circumferri ſolitam tradit Herodotus *in Euterpe: Pro phallis excogitarunt imagines, cubiti magnitudine, quas circumferunt mulieres per agros.*

Figlinae nota literis extantibus eminet, quibus ex officina Flavia, quae alioquin nota eſt, elegantiſſimam Lucernam prodiiſſe docemur.

XLVI.

XLVI. XLVII.

SILENI.

SAtyri ridentis protome, ſcitiſſimi artificis opus, prominet in Lucerna Tab. XLVI:; nebride ille ex humero dependente inſignitur. Satyros, & Faunos Bacchi ſectatores, ſcriptores fere omnes tradunt, quos inter Orpheus *in hymno Sileni*. Hinc Ovidius IV. *Met.* v. 25.

..... *Bacchae, Satyrique ſequuntur.*

Sequentis Lucernae typus Faunum refert fiſtula canentem, ſubnixum ingenti pedo, qualem eodem loco deſcripſit verſ. 26.

Quippe ſenex ferula titubantes ebrius artus
Suſtinet.

Faunum ſimilem humanis pedibus, auribus vero caprinis fiſtulam inflantem refert Bonarrotius pag. 252. *Muſei Carpinei.*

Fauni caput elegantiſſimum videre eſt in Lucernae, ut puto, operculo, quod unicum ad me hactenus delatum eſt. Conſtat ex argilla nigerrima, aſſurgente ſiniſtrorſum manubriolo perforato.

XLVIII. XLIX.

FAUNI.

QUi veterum monumentis evolvendis operam navant, ii frequenter toreumata offendunt fictilia, optimum plerumque artificem nacta: erant enim proluſiones quaedam, quas ſibi ſculptores proponebant, antequam ad marmora elaboranda manum admoverent, uti ex Plinio colligimus, qui Lib. XXXV. cap. 12. ait, *veniſſe in tantum plaſticae artem, ut nulla ſigna, ſtatuaeve ſine argilla fierent, & Praxitelem, qui plaſticam matrem ſtatuariae dicebat, nihil unquam feciſſe, antequam finxiſſet.* Ex optimis ergo exemplaribus, quae ſibi ſculptores in marmore exprimenda propoſuiſſent, typis formatis, innumera ectypa e-

ducta ſunt, quae muſea omnia exornant. Ex his plura in muſeo Arditio, Oliverio, & noſtro aſſervantur: plura etiam in Baldaſſinio, quae nobilium aedibus exornandis inſerviſſe argumento eſt, quod deaurata fuiſſe cognoſcantur.

In primo fragmento alter e Silenis vinum ex uva exprimit. Fortaſſe Bacchus ipſe hic exprimitur, qui aliquando hirſutus expreſſus eſt: ita Cornutus *in Satir.* 1. Perſii. *In Graecia duae fuerunt Liberi patris ſtatuae, una hirſuta, quae dicebatur Briſeis, altera levis, ideſt, ſine pilis, quae dicebatur Lenaeis.* Alter vero ficubus, ut ego quidem arbitror, redundantem ciſtam attollit. Hoc ad orgiorum myſteria pertinebat. Plutarchus *de Cupid. divit.* Bacchanale deſcribens, haec refert. *Sequebatur alius calathum ficis plenum geſtans, tum aliquis caprum trahebat.*

In ſequentis tabulae toreumate, cujus alterum ectypum Urbini olim vidi in aedibus Cl. Fabretti, eadem myſteria fere referuntur, niſi quod Silenorum alter utrem vini elevans ſeni oſtentat.

L.

TROPAEUM BACCHI.

GRande tropaeum Satyri Baccho eorum duci ſuſpendunt, Tragocranium; capri nempe immolati nudum caput; at mole tam impari, ut in eo artificem luſiſſe nullus dubitem. Cur Bacchi odia caper meritus ſit, cauſſam affert Virgilius *Georg.* II. v. 376.

Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens ſcopulis arentibus aeſtas,
Quantum illi (viti) *nocuere greges, durique venenum*
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur.

& Martialis Lib. XIII. 39.

Laſcivum pecus, & viridi non utile Baccho,
Dat poenas, nocuit jam tener ille Deo.

Huc referenda erat capra, quae ſub vite latitans in fragmento

to Tab. LVI. Piſauri in domo mea reperto Naſonis minas non expavit .

Rode caper vitem , tamen hinc quum ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit , erit.

LI. LII.

OSCILLA BACCHICA.

VIrgilius *Georg.* II. v. 386. feſta a Satyris in honorem Bacchi peracta ita deſcribit ,

Verſibus incomtis ludunt , riſuque ſoluto :
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis :
Et te Bacche vocant per carmina laeta , tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu .

Duo igitur perſonarum genera in ſacris Bacchicis adhibita eſſe intelligimus , alterum , quo os , & caput contegerent , ſed ore patulo , quales larvae ſcenicae fuere , ut libera voce ejulatus , & carmina illa incomta emitterent , quorum plura exemplaria Lucernae ſequentes ſuppeditabunt ; alterum vero , quod humana ora imitaretur , & quod , veluti anathemata , ſive donaria , Baccho dicaretur . Ad hoc pertinuiſſe puto duas has bacchantum effigies , quae ore clauſo primo uſui ineptae erant ; harum poſtrema id pene ſingulare , ac notatu dignum praeſefert , ut ex vitta , qua caput cingitur , lemniſci pedes tigridis referentes dependeant .

LIII. LIV. LV. LVI. LVII.

LARVAE.

CUr Larvae ſcenicae Baccho conveniant , ſupra indicavimus . Accedit , quod ille habitus fuerit comoediae , & poeſis dramaticae auctor , uti pridem notavit Chauſſaeus Muſ. Rom. *de Bullis.*

Parergi loco ſingulis Lucernis Bullas duas fictiles ſubdidimus , paris cum exemplari magnitudinis , in quibus Bac-

cha-

charum, Silenorum, Satyrorumque horrendae ut plurimum imagines referuntur. Ex his plures Romae jam tum adoleſcens collegi, ceteras ad me amantiſſimus Joannellius ex agro Tuderte collectas tranſmiſit. Prominent in his veluti acumina retrorſum perforata, uti ſcirpo, vel filo tranſadigi poſſe videantur. Scrutanti mihi horum ſignorum notas, in mentem venit bacchantium humilioris notae vittas, corollas, & ſerta potuiſſe illis exornari, quum praecipue in eis veteris rubricae ſigna ſubſiſtant; plane ad inſtar gemmarum, quas in Bellonarii veſtitu animadvertit, atque illuſtravit inter Donianas Inſcriptiones Cl. Gorius. Profecto illam, quae Tab. LVI. relata eſt, quum quatuor in partibus pertuſa ſit, ad hujuſmodi uſum aptatam fuiſſe dubitari vix poteſt.

Poſtrema eadem elegantiſſimi operis Lucerna Tab. LVII. tibias, crotalos, & ſyringam, Bacchica inſtrumenta, exhibet; cum his cithara quoque connumeratur: in ejuſdem enim Bacchi orgiis omnimoda muſicalia inſtrumenta intervenerunt, nec injuria; Muſas enim aliquando cum Baccho peregre profectas narrat Diodorus Siculus Lib. III. ac percelebris eſt opinio Macrobii, imo & Virgilii, qui Bacchum eundem eſſe cum Sole contendunt. Quapropter de Baccho memoratus Maro canit:

..... Tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris caelo.

LVIII. LIX.

POMONA.

POmonae imaginem duabus hiſce Lucernis contineri exiſtimo. Prima enim calathum fructibus refertum capite geſtat, pomumque dextera manu tenet. Altera veſtis ſinum pomis onuſtum oſtentat, encarpis ex frondibus, fructibuſque concinne efformatis, undique circumdata. Calathos, & modios, quorum par erat ratio, & myſterium, Deorum capitibus promiſcue impoſitos obſervavit Bonarrotius ad num. Getae I. *Muſei Carpinei*, qui eorum originem

nem ductam putat a rudi illo primaevae ſculpturae inſtituto, quo ſuper Deorum capita aequam aliquam, & planam partem relinquebant ad columellae formam, ut donaria, & libationes, quae ſuper ea ſimulacra deponi conſueverant, commodius conſiſterent. Arte demum adulta, pars illa ad venuſtatem in modii, ſeu calathi ſpeciem concinnata fuit, donec hoc capitis decus abiit in ſignum divinitatis. Fortaſſe non caſu, ſed conſilio hoc geſtamen quorundam Deorum capitibus addictum eſt, uti per illud fruges, & poma ſignificarent, quibus hominum alimentum ab iis naturae praeſidibus impertiri demonſtraretur. Quapropter Aegyptii, quibus hoc attributum magis commune fuit, Iſidi praecipue, atque Serapidi illud impoſuerunt, ut notum eſt.

Hujuſmodi ſimulacrorum ornamenta Etruſcis fuiſſe ignota, conjicere licet, quod in nulla adhuc, ſeu pictura, ſeu ſculptura illius gentis apparuerint. Ab Aegyptiis vero ad Graecos, & Romanos tranſiere, inter quorum numina Genius hoc ſymbolo inſignitur; item Pan, cujus marmoream imaginem ex aedibus Vallenſium edidit inter ſtatuarum icones Eques Maffejus. Alterius quoque muliebris ſtatuae mole coloſſea truncus deformatus, qui, ut memini, in cavedio Farneſiano Romae jacebat, prominentem calathum interne vacuum capite gerebat; ut vel pomis, vel frugibus, vel denique myſteriorum ineptiis continendis, ita effictum eſſe videretur. Cererem, ni fallor, referebat. Horum vero omnium par erat ratio, non ſecus, atque in Aegyptiis, ut eis modius attribueretur. Encarpi inter primaeva Deorum donaria reputantur, quum antiquiora Deorum ſacrificia frugibus, ac terrae fructibus perficerentur. Pomonae autem pomorum praeſidi, jure patrocinii conveniebant eo prorſus modo, quo coronam pomis efformatam Vertumno offerri ab olitoribus tradidit Propertius Lib. IV. *Eleg.* 2. v. 17.

Inſitor hic ſolvit pomoſa vota corona,
Cum pyrus invito ſtipite mala tulit.

LX. LXI.

PRIAPUS.

HOrtorum cuſtos, & tutela Priapus inter pomiferas arbores, adoleſcentuli ſpecie, poma tuniculae ſinu collecta offerens, legem edicere videtur, quae in obſceno carmine legitur.

Quod meus hortus habet, ſumas impune licebit,
Si dederis nobis, quod tuus hortus habet.

In altera Lucerna Satyrus veteranus, atque deficiens ingentem phallum humeris bajulat, atque ita ſub onere fatiſcit, uti ſe tanto ponderi imparem eſſe prae aetate fateatur. Vidi olim delineatum ex muſeo Burgheſio Mutini ſimulacrum, humeris colligatum phallorum bajulans faſciculum. Si quis vero minime probaverit haſce imagines ad Priapum pertinere amandet illas, ut libet, ad foeda orgiorum myſteria, inter quae Phallophori, turpes illas imagines deferentes, connumerantur, uti refert Suidas.

LXII.

TERMINALIA.

APprime hic congruit illud Ovidii *Faſtorum* II. v. 18. ubi Poeta de Termino loquens, ajt.

Te duo diverſa domini de parte coronant,
Binaque ſerta tibi, binaque liba ferunt,

Eundem morem ſuſpendendi Termino florea ſerta indicavit Tibullus Lib. I. *Eleg.* I. v. 17.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.

Neque ideo tamen negaverim Priapum a matronis in hac Lucerna coronari; ſiquidem ipſe Priapus teſtatur:

Mihi corolla picta vere ponitur.

Ne, quae in obſceno carmine de Telethuſa habentur, repetamus.

LXIII. LXIV.

GENIUS DOMESTICUS.

IMagines adoleſcentium pincernae habitu efformatorum, quae aeneae paſſim in Muſeis occurrunt, atque vulgo Pocillatores audiunt, peculiari diſſertatione Joannellio meo inſcripta, quaeque brevi in lucem proditura eſt, explicavimus, neque in illis quidquam contineri, niſi domeſtici Genii imaginem comprobavimus. Multa ibi de eorum religione, atque cultu diſſeruimus, quae, ne hic fruſtra recoquantur, conſulto praetermittimus. Imagines vero, quas modo proferimus, in eorum cenſu eſſe reponendas, minime dubitamus, reſpondentibus undique ſymbolis.

Hic noſter, tanquam feſto die coronatus apparet; nam hujuſmodi coronae decus capiti ejus feſto die imponebatur, illo, inquam, die, quo quiſque natalis ſui ſolemnia concelebrans proprium Genium profuſius venerabatur. Hinc Tibullus Lib. 11. *eleg.* 2. *in Cerinthi natali* ita precatur v. 5.

Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores,
Cui decorent ſanctas mollia ſerta comas.

Vinario vaſe demum, & floribus ornatus adeſt, quibus ipſum ſummopere delectari reputabant. Horatius *Epiſtolarum* Lib. 1. epiſt. 1. verſ. 146.

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus, & vino Genium memorem brevis aevi.

In ſequenti Lucerna Genius vinum in menſam effundit. De hac religione fuſius tractatum eſt in praedicta diſſertatione, quo in loco antiquorum menſas admodum parvas fuiſſe, uti haec Lucerna oſtendit, indicavimus. Praeſertim vero Etruſcarum picturarum exemplis confirmavimus, antiquiores menſas vix uni catino ſuſtinendo pares fuiſſe, conſtante adhuc primaeva victus ſimplicitate, quae ſucceſſiva illa ſibi ſuccedentia ferculorum nomina, atque epulas epulis imminentes execrabatur.

LXV.

COMUS.

COmi imaginem ex Equite Maffeio protulit Montefalconius. Verum ea, non Comum, ſed Hymenaeum repraeſentari, nemo ibit inficias, qui Tabulam XXXVIII. Tomi I. operis noſtri inſpexerit, quae eandem ipſam imaginem, eodemque ipſo habitu, ſymboliſque exhibet, addito praeterea in Lucernae diſco librali aſſe, qui rem in aperto ponit. Par erat ergo, ut noſtra Lucernarum ſupellex, quae veram Hymenaei imaginem detexit, ſuam quoque Como reſtitueret, ut in poſterum in Deorum cenſu ipſe quoque appareret; quod Lucerna elegantiſſima, quam hic proferimus, praeſtabit. In ea enim Comum convivii Deum exhiberi haud levibus argumentis ductus exiſtimo. Nam quum Diis propriorum officiorum attributa addiderint Veteres, recte facem, quae Genio alioqui minime convenit, illi ſubjecerunt, & vini amphoram; quum haec omnia Como conveniant, quem Philoſtratus *in Imagin.* 3. quum deſcribat, ait in ejus militia auctorari juvenes, qui coronati noctu cum facibus, & muſicis inſtrumentis, vino redundantes ad amicarum fores procaciter laſciviebant. Nomen illi a Κωμος, protervia, laſcivia, ſaltatio, &c.. Unde Varro Lib. VI. L. L. deducit comeſſationem, & comoediam. Hinc Crepalocomus ebriorum hymnus ex Ariſtophane *in Ranis*.

LXVI.

FORTUNA.

NOtandum ſane Fortunam cum Diana confundi ab Orpheo in ejus hymno. Eam enim, quam τυχην vocat, appellat poſtea αρτεμιν ηγεμονην, Dianam ducem; cujus ſententiae rationem eam fuiſſe puto, quod Fortunam nil aliud eſſe putarent, quam aſtrorum, & ipſius Lunae influxus,

fluxus , unde inopinati eventus procederent .

Hanc ſedentis habitu quandoque effingebant , quo ejus perennitatem ſibi augurabantur . Talis in nummo Commodi obſervatur , addita epigraphe FORTUNA MANENS.

LXVII.

FORTUNA STANS.

FOrtunae ſtantis ſignum ita deſcribitur a Pauſania *in Corinth. Fortunae ſignum alto ſtatu.* Quod ſcriptor adnotavit , quia ſedentis habitu plerumque fingeretur . Hoc tamen typo a Romanis frequentius exprimebatur , praeſertim in nummis . Duas etiam Fortunas venerati ſunt Veteres , bonam unam , malam alteram ; inde in nummo Ruſtiae gentis Fortunae Antiates duplici ſimulacro repraeſentantur. Sed & tres Fortunas illos coluiſſe evinci poteſt ex nummis inferioris aevi , in quibus ſub triplici imagine *Fata* exhibentur ; ſiquidem fata cum Fortuna ſaepe ita confunduntur , ut diſcerni vix poſſit , fatum eſſe de maximis , & publicis , fortunam vero de privatis rebus .

Duo cornucopiae fructibus omnis generis plenae quandoque Fortunae , quam cognomento felicem nominabant , quandoque Concordiae tribuebantur , uti Bonarrotius notavit ad nummum VII. Commodi , & XV. Philippi .

LXVIII.

SERPENS.

SErpentem pervetuſtum divinitatis ſymbolum Aegyptii obtruſerunt , a quibus ceterae nationes errorem ebiberunt , & in ejuſmodi inſaniam prolapſae ſunt , ut quod ſymbolum olim fuerat , verum Deum eſſe exiſtimarent , uti tradit Voſſius *de Idol.* Lib. IV. c. 63. Inde proceſſit ut Babylonii ſummo cultu eum venerati ſint , quem ſuſtulit Daniel ; atque ut a Romanis ſub ſerpentis ſpecie Genius univerſae naturae Deus cultus fuerit : inter cujus munera

quum valetudinem in primis reputarent, factum puto, ut Saluti Deae, atque Aeſculapio ſerpens potiſſimum tribueretur. Serpenti igitur, ſive Aeſculapii, & Salutis Genio, ſive ut alteri peculiari Deo, cui propriam divinitatem attribuerent, pene ſemper pateram libandam appoſuerunt; proinde frequentior Salutis typus fuit, mulier ſerpenti ex ara prodeunti libum porrigens. Hic vero caput erigit, & altari, in quo patera ſtata eſt, rictum admovet.

LXIX.

AESCULAPIUS, HYGIA, TELESPHORUS.

HAec tabella marmorea, ut opinor, voto ſuſcepto alicui templo ſuſpenſa in acceptae ſalutis teſtimonium, in agro Tuderte prope villici lectulum ſervabatur, qui ſub illa ethnicarum imaginum triade, Sacrae Familiae, quam Chriſtiani omnes impenſe veneramur, ſimulacra verebatur. At Jovannellii mei monitis excitatus tabellam reprobavit, quae Muſeo meo addita eſt.

De hoc trium Deorum nexu pauca admodum dicenda ſuperſunt, quum illum luculenter illuſtraverit Bonarrotius ad nummum L. Veri II.. Corona laurea, qua totum opus concluditur, peculiari religione Aeſculapio ſacra erat. Feſtus: *Laurea coronatur, quod haec arbor plurimorum ſit remedium*. Fortaſſe etiam laurus illi attributa eſt in memoriam Apollinis genitoris.

Peculiare ſane eſt Aeſculapium ſiniſtram panno obvolutam gerere, quod etiam in altero Deae Salutis typo obſervabimus Tab. LXXIII. neque hoc graeci pallii, quo velabatur, proprium erat, nam in nummo majoris moduli Epidauriorum Juliae Meſae inter Farneſianos ſiniſtram exſertam gerit; manuſque ejus nudas commemorat ſimulacrum illius deſcribens Pauſanias *in Corinth.*. Imo Ovidius *Metam.* XV. ejus imaginem deſcribens, qualis in Aede Epidauri colebatur, ait.

. . . . . baculumque tenens agreſte ſiniſtra
Caeſariem longae dextra deducere barbae.

Qua-

Quare in tabella noſtra Romanae religionis myſterium contineri puto, atque ob eamdem rationem, qua Fides manus opertas habet, ſiniſtram Aeſculapio velatam fuiſſe.

Hygia globos tres, ſive pharmacorum pilulas gerit. In arca etiam Cypſeli feminarum imagines fuiſſe iiſdem ſymbolis inſignitas conſtat, uti refert Pauſanias *El. prior. Atque feminae, cum piſtillis pilas praeferunt, medicamentorum artem calluiſſe arbitrantur*. Quo argumento fretus ſigilla quaedam Etruſca, quae manu pilas ejuſmodi continent, Deae Saluti, quam *Juvalitiam* appellabant, ego autem Valentiam, ſeu Valetudinem ſum interpretatus, fidenter aſſigno.

Teleſphorus capiti modium impoſitum gerit. Geſtamen iſtud, de quo nonnulla tetigimus Not. LVIII., Diis illis tribuebatur, quorum beneficio vitam ali, ſervarique reputabant, quod ſalutari huic Deo apprime conveniebat.

LXX.

SALUS IN LECTULO JACENS.

REclinata in lectiſternio Salus pateram porrigit, veluti ſumtura de ſacris epulis, quae in tripode adſtante afferri contingeret. Pendet e ſponda Teleſphori cucullati imago, non modo ut ſocii, verum etiam ut officii ſui adminiſtri.

Deorum imagines in lectiſterniis reclinandi inſtitutum religioſiſſimum putabatur. Quippe, ingruente periculo, nihil ſanctius, nihil auguſtius fieri poſſe crediderunt, quam Diis per pulvinaria, lectuloſque in ipſis templis diſpoſitis epulas apponere. Morem explicat Livius Lib. v. ad an. 336. *Triſtem hiemem gravis peſtilenſque omnibus aeſtas excepit. Lectiſternio tunc primum in urbe facto, per dies octo Apollinem, Latonam, ac Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum tribus, quam ampliſſime tunc apparari poterat, ſtratis lectis placavere. Privatim quoque hoc ſacrum celebratum eſt*. Libro quoque VII. memorat anno 390. pacis Deum expoſcendae cauſſa, tertio tunc poſt conditam Urbem

bem lectiſternium fuiſſe, ludi tunc primum ex Etruria acciti. Quanquam vero priore illo aevo lectiſternia adeo rara fuerunt, ut illorum in faſtis mentionem habitam fuiſſe videamus, poſterioribus tamen ſeculis, ut idem recenſet Lib. XXXVI. in quibuſdam fanis majori anni parte fieri conſueverunt.

Stratis igitur ſumptuoſiſſimis lectulis Deorum ſimulacra more procumbentium in illis diſponi ſolebant. Servius *in Georg.* III. *Pulvinar, lectulus, in quo Deorum ſtatuae reclinabantur.* Epulae vero, quae illis erant appoſitae, olim a Sacerdotibus conſumebantur; hinc in Saliari

Omnia dapatilia comiſſe Jani Cuſiones.

Anno vero Urbis 554. primum III-viri Epulones facti ſunt, C. Licinius Lucullus, P. Manlius, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Laeca, uti refert idem Livius Lib. XXXIII. cap. 42., quorum munus erat ſacra haec procurare; deque illis, utrum rite, nec ne facta forent, ſententiam dicere.

Quod ſi placet in hac tabella votivum donarium agnoſcere, cum aegrotae mulieris imagine, liberum cuique eſto judicium, quum nihil vetet in re dubia alterutrum reputare.

LXXI.

SALUS JACENS CUM SERPENTE.

EXiguum hoc ſimulacrum Salutis fictile, quod ex numero anathematum fuiſſe reor, cum praecedente conſonat, quippe in pulvinari reclinata jacet, qua ſolemni caerimonia Deos ſibi magis propitios, pacatoſque fieri Veteres autumabant. Serpenti inſuper ex patera libum porrigit. Hoc ferme modo Salus in lectiſternio jacens exprimitur in Numiſmatibus Farneſianis maximi moduli Neronis, quae tamen ad quartum ſeculum pertinent, quum ex iis ſint, quae *crotoniati* appellant.

LXXII.

SALUS SUPER PEDIS FIGURAM RECLINATA.

FOrte hic Ilithya, ſive Lucina refertur, quae ſuper gigantei pedis imaginem, lectuli loco, jacens, veluti dolens oranſque, non ſine tamen majeſtate, parientis anguſtias exprimit. Pes, cui, pulvinaris loco, inſiſtit, Iſidi, ſeu Lunae, quae eadem, ac Lucina erat, uti veterum monumentis collatis, atque illuſtratis probavit Fabrettus Inſcriptionum Cap. VI. ſacer erat. Proinde haud mirandum eſt Lucinam ipſam rei ſibi ſacrae inſiſtere, ac veluti in lectiſternio recubare.

Sed quia in his Monumentis illuſtrandis, quae certam aliquam, atque indubiam ſui notam non ſervant, difficile eſt pedem figere, & indubitatam ferre ſententiam; liceat mihi ſuſpicari parientis feminae votivam imaginem hic repraeſentari, ac proinde inter ea anathemata cenſendam eſſe, quae voti compotes feminae Deorum fanis ſuſpendebant. Liberum ſit cuique judicium; nobis quid ſine inſcitiae nota dici poſſit indicaſſe ſufficiat.

LXXIII.

SALUTIS ANATHEMATA PEDES VOTIVI.

FIctiles pedum imagines, non Lunae tantum, ſed Saluti etiam dicatas fuiſſe argumento ſunt innumerae illae, quas ex Luco ſacro Veterum Piſaurenſium, ubi inter ceteras ara Salutis exſtabat, erui obſervavimus. Accedit in noſtro hoc anathemate ſerpentis figura, quae in patera pedi ſuperimpoſita libamen ſuſcipit, obvium Salutis ſymbolum; ex quo commonemur nullam cum aegritudine ex morſu ſerpentis inflicta affinitatem haec ſigna conſervare.

Itineris alicujus fauſte expliciti memoriam continet altera imago pedis, addita epigraphe. *Fauſtos redire*. Fortaſſe

ſe gemini pedes fuere, in quorum dextero boni ominis formula huic ſuperiori reſpondebat *Fauſtos Ire*, utraque enim occurrit in marmoribus. Capricornus inter fauſtioris fortunae omina ſumtus fuit, utpote

. . . . *In Auguſti felix qui fulſerit ortus*,

ut canit Manilius II. 499.. Quare Suetonius in ejus vita c. 94. *Tantam fiduciam ſui Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, nummumque argenteum nota ſideris Capricorni, quo natus eſt, percuſſerit*. Itaque feliciter coepti itineris fauſte complendi, ac fortunati reditus velut omen ſumi jure potuit.

Sed felicius etiam omen per Capricornum ſignificari dicendum erit, ſi Macrobium audiamus Lib. I. c. 12. *in Somn. Scipionis*. *Capricornus*, ait ille, *Deorum porta eſt, quia per illum animae in propriae immortalitatis ſedem, & in Deorum numerum revertuntur*.

LXXIV.

CANDELABRUM VICTORIAE.

A Vulſa ſuperiori Lucerna, ipſe pes candelabri ſuperſtes Victoriam gradientem exhibet, quae humero infixum haſtili tropaeum geſtat: ac tam modica mole exuviae illae ſunt, ſi comparentur ſtaturae Victoriae, ut haec fere ſextuplo procerior humana menſura videatur. Namque hoc auguſtum, atque admirandum de Diis ſuis ferebant antiqui, ut gigantea mole, quandoque etiam prodigioſa, illos eſſe dictitarint. Ita apud Tacitum II. *Curtio Rufo oblata eſt ſpecies ultra modum humanum*. Quod confirmat Plinius *Epiſt.* Lib. VII. XXVII. *Offertur ei muliebris figura, humana grandior, pulchriorque*. Et Suetonius *in Claud.* c. I. ait Druſum *hoſtem inſequi non prius deſtitiſſe, quam ſpecies barbarae mulieris humana amplior victorem tendere ultra ſermone latino prohibuiſſet*. Ita Neptunus apud Homerum Iliad. N. tribus paſſibus a Samo in Aegan pervenit: rurſumque talem clamans emiſit vocem in Iliados Ξ. v. 127. qualem novem, aut decem millia armatorum elevarent. Idem fere

de

de Marte commentus eſt *Iliad.* E. v. 1059.

LXXV. LXXVI.

VICTORIA GRADIENS CUM PALMA, ET CORONA.

INgentem palmam altera manu ſuſtinet Victoria in duabus hiſce Lucernis, a quarum magnitudine eximia Palmarem Deam vocat Apulejus *Metam.* Lib. 11. . Porrigit autem altera coronam, quam ipſa victorum capiti inſerere putabatur. Sic Ovidius *Triſtium* 11.

Ponat & in nitida laurea ſerta coma.

Notandum diſcrimen eſt, quod inter duas has Victoriae imagines intercedit; altera enim dextera ſertum gerit, altera vero ſiniſtra. Id autem incauti ſigillatoris incuriae tribuendum puto, qui in typo lauream quidem in dextera aptavit Victoriae, nequaquam cavens in ectypo contra prodituram. Hujuſmodi ſphalmata quaedam animadvertimus ſuperiori volumine ad Tab. XVI.; ante nos vero Fabrettus *ad Tabul. Iliacam* p. 316. *Imagunculae omnes recte olim in ſuo ectypo excavatae inverſam, & contrariam formam aſſumſerunt. Viſitur namque, ſi bene memini, Pax laeva manu face ſubdita arma incendens; Abundantia dextera cornu Amaltheae ferens, ſiniſtra aliquid innuens; Flaminica pateram ſuper ara laeva pariter invertens; & muliebre aliud ſimulacrum huic Flaminicae ramum ſiniſtra porrigens: alioqui enim vix credibile eſſet, quod vaſculum, ceteroqui conſumatiſſimae artis, tranſmutans dextera laevis, ſponte ſua opifex eo pacto deformaſſet.*

LXXVII.

VICTORIA GLOBO INSISTENS.

DUbiam vocavit Victoriam Ovidius *Metam.* Lib. VIII. quod, bello furente, ambigua inter utramque partem recta lance pendere videatur.

Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis.

Talis profecto ea eſt, quam in hac Lucerna expreſſam videmus, in neutram partem inclinata, *nudo* praeterea *ſuſpenſa pede*, ut ait Prudentius contra Symmachum Lib. II. globoque inſiſtens, ut ſuum verſatilem, ac volubilem ſtatum indicaret; atque ut orbis dominam, *omniumque ſuperatricem*, ut eam appellat Orpheus in ejus hymno, ſeſe oſtenderet.

Hanc propemodum Victoriae effigiem deſcribit Apulejus L. II. *Metam. Atria longe pulcherrima columnis quadrifariam per ſingulos angulos ſtantibus attollebant ſtatuas Palmaris Deae; facies quaqua pinnis explicitis ſine greſſu pilae volubilis, inſtabile veſtigium plantis roſcidis decitantes, nec ut maneant inhaerent, & jam volare creduntur.*

LXXVIII.

VICTORIA CUM SYMBOLIS.

VIctoriam novi anni auſpicatiſſimum numen, & officiis omnibus, quae tunc exordium ſumebant, felix initium facturam in altera Lucerna ſymbolis ornatiſſima volumine priore oſtendimus. Idem forte argumentum reſpicit Lucerna praeſens, quae pluribus ex iiſdem parergis, quibus ea Lucerna decoratur, ornata eſt; glande nempe, ſymbolo diuturnitatis; laurea, quam foribus ſuſpendebant; denario demum Romae capite inſignito; de quibus nihil dicendum reſtat, quum omnia fere in notis ad dictam Lucernam expenderimus.

LXXIX.

VICTORIA INTER CAPTIVOS.

QUum Romae triumphorum ſolemnia celebrarentur, artifices quoque in ſuis operibus ipſa communis laetitiae ſigna exprimere conſueverunt, videlicet ipſo populi genio ſeſe undique manifeſtante; proinde mirum non eſt, ſi tam obvia Victoriarum teſtimonia in minutulis hiſce

co-

coctilibus, imo in lateribus, & tegulis reperiantur. Quid vero non tentaſſe Romam prae gaudio geſtientem opinabimur, quando Dacicae Victoriae, omnium celeberrimae, gaudia celebrabantur? quum vel in pluribus ex Lucernis Muſei noſtri illius feſtivitatis non obſcura ſigna deprehendantur. Huc, ut puto, referenda eſt praeſens Lucerna, ubi gemini ejus gentis captivi expreſſi cernuntur, eo fere habitu, quo marmorei illi, qui ex arcu Trajani, unde baſilica ejus claudebatur, una cum praecipuis ornamentis in arcum Conſtantini Magni tranſlati fuerunt.

Media Victoria raro ſane exemplo nullam coronam profert, ſed utraque manu geminam ſuſtinet palmam. Ita fortaſſe repetita felicibus praeliis maximae illius expeditionis tropaea indicata ſunt; ſeu potius duplici ea palma cuncta terrarum optimi Principis victoriis plena indicantur; eodem prorſus modo, quo Auguſtus, ut pacem univerſo orbi impertitam ſignificaret, globum in nummis ſignavit inter duos olivae ramos conſiſtentem, uti recte obſervavit Bonarrotius ad nummum Probi v. *Muſei Carpinei*.

LXXX.

VICTORIA TRAJANI.

SEquentes Victoriae Caeſarum caracteribus inſigniuntur, quarum prima *Trajani* nomine nobilitatur. Inde ex iis illam eſſe putamus, quae vel ad urbem illuminandam, occaſione Dacicae Victoriae, vel ad univerſi populi genium formatae ſunt.

Victoriae eo geſtu pingebantur, quo omnia pene triumphi officia, & partes exprimerent. Bigas quandoque, & quadrigas ducunt, ut in nummis, toreumatis, atque gemmis. Triumphantes coronant, captivos calcant, ſpolia gerunt, ſacrificia pro felici rei eventu peragunt, taurum immolant, vota nuncupant, clypeos denique victoris nomine inſignitos attollunt. Mos rerum, virorumque illuſtrium monumenta clypeis poſitis celebrandi traditur a Plinio Lib. xxxv. c. 3. & pluribus illuſtratur a Bonarrotio ad

Nummum 3. Antonini Pii *Muſei Carpinei*. Exempla vero plurima nummi ſuppeditant, in quibus Victoriae clypeis titulos inſcribentes adnotantur.

LXXXI. LXXXII.

VICTORIAE CUM CLYPEO.

VOtorum Quinquennalium, ac Decennalium originem repetit Dio Lib. 53. ab Auguſti temporibus: quum enim ille ſeptimo ſuo Conſulatu de Imperio dimittendo in Senatu egiſſet, Senatu vero reluctante, in decennium prorogatum Imperium illi fuiſſet, inde in quinquennium, iterumque in aliud; factum eſt, ut ſingulis quibuſque quinquenniis vota pro Principis, atque Imperii incolumitate ſuſciperentur, iterumque ſuſcepta ſolverentur. Additque idem ſcriptor ad ſuam uſque aetatem (floruit ſub Alexandro Severo) adhuc morem illum viguiſſe.

Vota Quinquennalia Antonini, quae tab. LXXXI. memorantur, ſi ſuſcepta eſſe intelligamus, ad Imperii ſunt referenda initium, nempe ad ann. Urbis 891; ſi vero ſoluta, quum Decennalia ſuſciperentur, ad annum 895. Torquato, & Herode Attico *Coſs.*

Hoc Votorum monumentum attollunt geminae Victoriae; quum enim, uti priori volumine, atque hic rurſus obſervavimus, Victoriae, tanquam numini fauſtiſſimo, rerum exordia, & annorum initia tribuerentur, eadem ratione primordia quinquennii illi dedicata fuerunt.

Vota ſuſcepta pro alicujus Imperatoris incolumitate memorat Lucerna tab. LXXXII., quae fortaſſe ex iis eſt, quae ad Urbem exornandam in ea celebritate formabantur: neque futilem fortaſſe temporis conjecturam deducimus a ſubſcriptione figulinae MAXIM, rudi ſtilo exarata, quae Maximiani Aug. nomen indicare poteſt, cujus aetatem, atque inclinatam jam ſculpturae elegantiam teſtatur Lucernae minus elegans artificium.

LXXXIII.

VICTORIA IN CORONA QUERNA.

TAbula haec vitrea unius fere palmi altitudine conſpicua eo utique pretioſior, quo integrior ad hanc uſque aetatem pervenit. Decidit tantummodo ex ea extimus ille picturae cultus, quo, ut puto, decorabatur: namque univerſa illius ſuperficies ita ſcabra, & rudiuſcula ſupereſt, ut aliquid excidiſſe omnino evincatur. Non pauca ejuſdem materiae confracta opificia ad manus meas pervenerunt, ex quibus tota exterior facies aufugerat, quae vividioribus coloribus, ad venuſtatem operi comparandam, exculta erat. Ex quo ſuſpicari licet non omnia vitrea opera encauſtice depingi conſueviſſe; illa enim, quamvis confracta, colorem conſtantiſſime retinent; ſed multa etiam, remoto igne, viliori quodam pigmento ornata fuiſſe, quod temporum injuriae nequaquam reſiſteret. Id & in Lucernarum rubrica frequenter obſervamus, ſubſiſtente adhuc in plurimis, ut perfricando vividior rubeſcat, fugiente in aliis, & quae penitus lota evaneſcat.

Anſulae utrinque perforatae clare evincunt uſum hujus tabellae fuiſſe, ut alicui ſacrae aedi, veluti anathema votivum ſuffigeretur. Notae vero AA. NN. Victoriam aliquam duorum Principum una imperantium forte indicant, pro cujus felici eventu miles aliquis, aut cliens vota nuncupaverat: cujus officii exempla etiam in marmoribus occurrunt. Quorum autem Auguſtorum hic mentio fiat, obſcurum. Urgent plura, ut credam in hac Lucerna fortaſſe M. Aurelii, & L. Veri Victoriam aliquam deſignari: ſiquidem in eorum nummo majoris moduli *Muſei Carpinei*, in cujus antica Auguſtorum fratrum capita conſpiciuntur, in poſtica Victoria gradiens cernitur, cum titulo *Victoriae Auguſtorum*. Spolia barbarica ſunt, ſed Britannica ne ſint, an Germanica, an Partica, vel Armeniaca, aſſerere non auſim. Non deſunt, qui tabellam hanc ad poſteriora tempora referendam putaverint, quod formula illa *Auguſtorum Noſtro-*

ſtrorum, potius tertii ſeculi Imperatoribus attributa ſit. Verum, pace illorum dixerim, parum callere antiquitates illi mihi videntur; jam tum enim a Domitiani aevo ſolemnis erat haec formula, ut ex figlinis conſtat a Fabretto relatis *Inſcr. Antiq.* cap. VII. n. 82. & ſeqq.. Et ne Domeſticas Lucernas in teſtimonium adducere praetermittamus, harum in una expreſſe legitur.

ANTONINI
A. N.... TIBE

In alia vero

VOTA. V
ANTONINI
A. N.

LXXXIV.

VICTORIAE LAUREAM SUSTINENTES.

INgentem coronam hinc inde Victoriae ſuſtinent, ſed quae minime capiti prae ipſius mole aptari poſſet, & ad magnificentiae potius oſtentationem vel in pompis perferretur, vel in aedibus ſuſpenderetur. De coronis hujuſmodi meminit Juvenalis *Sat.* X. v. 39.

..... *magnaeque coronae*
Tantum orbem, quanto cervix non ſufficit ulla.

Et Feſtus: *Donaticae coronae dictae, quod his victores in ludis donabantur, quae poſtea magnificentiae cauſſa inſtitutae ſunt ſuper modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt, quum lares ornantur.*

LXXXV.

VICTORIAE CANDELABRUM CORONANTES.

VIctorias omnia triumphorum munia obeuntes ſupra animadvertimus; & frequentius etiam ſequenti volumine adnotabimus. En ipſas vota pro ſui exitu ſuſcepta

ſol-

ſolventes quum ardenti candelabro adſtantes ſerta inde ſuſpendunt. Frequenter hic typus in veterum toreumatis, praeſertim vero Templorum zophoris obſervatur. Uſum aris ſerta ſuſpendendi indicat Virgilius *Aen.* I. v. 420.

. . . . . centumque Sabaeo
Thure calent arae, ſertiſque recentibus halant.

LXXXVI.

VICTORIAE TROPAEUM STATUENTES.

COnſueverunt Duces e bello reduces ſpolia ex hoſtibus relata offerre Diis, quorum auſpiciis rei bene geſtae exitum referebant. Id enim idem erat, ac de primitiis belli Diis ſacrificare, uti notat Servius *Aen.* XI. verſ. 6. quo in loco poeta deſcribit hujuſmodi tropaeum, quod de Mezentii armis Aeneas conſtituit. Quae quidem religio adeo univerſalis fuit, ut omnium populorum exemplis facile comprobetur, praeſertim vero orientalium ex Divinae Scripturae teſtimoniis. Quam vero frequens fuerit apud Romanos id religionis argumentum oſtendunt paſſim Scriptorum libri, & exſtantia marmorum monumenta, in quibus nihil frequentius hoc ſymbolo, praecipue in Urbe, ubi triumphi obvii, & Victoria familiaris; multoque magis in aula Palatina non ita pridem Romae detecta, cujus ornamenta marmorea, quae non reſiſtenti lapidi inſculpta, ſed cedente ex cera efformata videbantur, Victorias tropaea ſiſtentes continebant.

Porro Victorias ipſas tropaea ſtatuentes antiqui finxerunt, ut indicarent eadem non ſine belli diſcrimine fuiſſe parta, quae ipſe belli terminus Victoria pararet. Praeterea quum Deos ſacrificantium habitu plerumque exhiberent, ut toties adnotavimus, quod haec forma putaretur auguſtior, ac Deo dignior, Victorias taurum immolantes, ac tropaea ſtatuentes libentiſſime repraeſentarunt.

LXXXVII.

VICOTRIAE THUS ADOLENTES.

PLurimos ſacrificantis Victoriae typos occurrere memoravimus, nempe taurum ferientis, ut in antiquo marmore apud Jacobum Barotium *Element. Architect.*; & patera libantis apud Fabrettum *Colum. Trajan.* Cap. x. Serta ex candelabro ſuſpendit in ſuperiori Lucerna, & in eodem marmore apud Barotium; thure denique ſupplicat in hac, & in ſequenti toreumate votivo.

Forma thus adolendi ea ferme eſt, quam deſcribit Ovidius *Faſt.* II.

Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit.

et Lactantius Firmianus Lib. I. c. 5. *Nam cruciari, atque interfici malle, quam thura tribus digitis comprehenſa in focum jactare.*

LXXXIII.

VICTORIAE IN ZOPHORO VITREO.

TOreuma hoc vitreum trium fere palmorum longitudinis pro zophoro alicujus aediculae, ut videtur, conflatum, eruditorum omnium, imo & artificum peritiſſimorum ingenia contorſit. Ignoto namque artificio ductum eſt; exultant nempe undequaque folia, & ſurſum repanda, ſubtus hiant; praeterea Φυλλαρια quaedam ita in arcum in ferne cavata aſſurgunt, ut penitus pervia ſint, ſolido tamen opere, ita ut nihil prorſus applicitum poſtea fuerit, nihil rurſum appoſitum, atque igne concretum.

Inter eminentes, & circumflexos acanthos, qua roſae, ſeu flores in aliis patent, protomes duae militarium Deorum conſpiciuntur; Bellonae praeſertim, ſive Palladis, cujus galeatum caput extrinſecus eminet, avulſo interim altero, quo loricati hominis effigies, Martis fortaſſe, aut alicujus ex Imperatoribus, referebatur. De vitreis hiſce

or-

ornamentis plura ſuperiori Libro diſſeruimus.

LXXXIX.

TROPAEUM.

EXſtructo tropaeo, alligati hinc inde captivi jacent proſtrati, quales in nummis ſaepe obſervantur, praeſertim ſecundi, & tertii ſaeculi; quae potiſſimum arcuum triumphalium inſignia erant. Hinc Juvenalis *Sat.* x.

. . . . . *ſummo triſtis captivus in arcu.*

XC.

LUCERNAE TRIUMPHALES.

LUcernis victoriatis ſubdimus triumphales, illas, inquam, quae ita aptatae ſunt, ut aedium abacis quam commodiſſime applicarentur, quum urbis viae in illis celebritatibus per noctes illuminarentur, de quibus plura notavimus in Prolegomenis. Ex eo genere quam plurimae apud me aſſervantur, forma, & ornamentis diverſae, nec ſine voluptate ſpectandae; ex quibus unam tantum ſelegimus feſtiva illa acclamatione exſtantibus literis inſignita: *Io triumphe*. De hujuſmodi acclamatione haec habet Varro de L. L. lib. v. *Triumphare appellatum, quod cum Imperatore milites redeuntes clamitant per urbem in Capitolium eunti, Io triumphe, Io. Idque a* Θριαμβω *Graeco, Liberi Patris cognomento poteſt dictum eſſe*. Unde apparet hujus formulae etymologiam Romae ignoratam, in qua vel ipſe Romanorum doctiſſimus dubitanter verſatur. Si cum illo fas eſt ſuſpicionem meam conferre, haud crediderim ab orgiis dictionem illam ad triumphos conceſſiſſe; his enim nihil commune cum Baccho. Putarim potius ab Etruria arceſſitam, unde diſciplina militaris, & pleraque Imperatorum ornamenta petita ſunt, veteremque manſiſſe caerimoniam, etſi lingua illa in deſuetudinem abierit, nemoque jam amplius Etruſcas voces intelligeret. Ea vero acclamatio in Imperato-

rem dirigebatur : *clamitant in Capitolium eunti* ; erat itaque fauſta aliqua precatio , compoſita fortaſſe a יה *Iah* dominus , unde *Evoeh* , & *Evoah* , & *Teii* cognomen ; eſt enim *Tejus* quaſi *Deus Iah* . Quapropter mihi ſacra illa conclamatio *Io Paean* , idem eſt, ac Deus Paean. Triumphum vero non a *triambo* dictum exiſtimo , ſed potius a θριαμβεύειν augere , & honeſtare , & τρι ; numerus enim ternarius pro ſummo , & maximo plerumque poſitus . Quare , niſi fallor , *triumphus* idem ſonat , ac *maxima honeſtatio* , & acclamatio, Io triumphe, *Deus ter augeat te* , *vel honeſtet te.*

Altera Lucerna , in qua expreſſus eſt titulus AA. NN. Auguſtorum noſtrorum , minime ſingularis eſt , quum plures ex illis , licet antiquitatis injuria ſatis corruptae , ad manus meas pervenerint ; eoque titulo indicatam fuiſſe puto figulinam Auguſtorum : unam , inquam, ex plurimis illis, in quibus in uſum Caeſarei Palatii vaſa minoris pretii formabantur; nihil enim in hac Lucerna expreſſum eſt, quod honori Auguſtorum attribui poſſit, niſi ipſa Lucerna.

XCI.

HOMERUS CUM MUSA.

ROmanis , Graeciſque Diis Homerum adjunximus , quem templorum honore , ac divinitate fuiſſe decoratum refert Aelianus *Var. hiſtor.* Lib. XIII. *Ptolemaeus Philopator inſtructo templo, eoque Homero conſecrato , collocavit eum pulcherrime ſedentem , & circumcirca eas urbes , quae ſibi Homerum vindicant , prope ſimulacrum poſuit .*

Homeri ſedentis imaginem adſtante Muſa exhibuit Fabrettus in toreumate *ad Tabel. Iliad.* n. XI. quamquam fracto marmore brachium tantum Muſae ſuperfuerit. Idem vero argumentum in hac Lucerna contineri ſuadent in primis vultus lineamenta , quae minus feliciter imitatus eſt pictor ; ego vero , qui divinam illam formam ex marmoribus mente hauſtam praeſentem , ac veluti mihi obverſantem habeo , coramque mihi ſemper videre videor , in hac Lucerna penitus agnoſco expreſſam , quantum operis exilitas,

&

& materiae humilitas patitur . Elucet enim plerumque in hac fictili ſupellectile perfectiſſimorum prototyporum imitatio , quae audacioribus lineamentis efficta , in ipſa operis negligentia exemplarium elegantiam exprimit , & majeſtatem. Accedit etiam, ut Homero Lucernam hanc adjudicemus, non ſolum quod Muſa ſtans volumen teneat , vatemque cogitabunda intueatur; verum etiam quod vates ipſe ſedens alterum volumen manu oſtendat ; quod & in duobus anaglyphis apud laudatum Fabrettum obſervatur . Atque hinc ſolidiſſima mihi oritur ratio cur non aſſentiar Joſepho Hebraeo , qui Lib. 1. *contra Apionem* ait : *neque Homerum literis ſuum poema reliquiſſe , ſed cantibus memoria reſervatum , poſtea fuiſſe compoſitum .*

Profecto non ea eſt divini poematis moles , ut , ſine ſcripturae ope, intactum illud memoria cuſtodire, atque ad noſtra uſque tempora, neutiquam labefactatum, deformatum, aut mancum , aut varianti lectione adulteratum tranſmittere potuiſſet. Ait inſuper Aelianus *loco cit.* Lycurgum primo univerſam Homeri poeſim in Graeciam ex Jonia attuliſſe , Piſiſtratum vero Iliada , & Odyſſeam conjunctim edidiſſe .

XCI.

PROTOMES TRIUM POETARUM.

SImulacra Deorum antiquiſſima in columellam hermarum more deſinentia vidimus jam ante frequentiſſima fuiſſe in Graecia. Ita quoque familiare fuit Heroum , Philoſophorum , & Poetarum imagines Graecis exprimere . Quibus ita redundavit antiqua Graecia , ut ex illius provinciae ſpoliis ubique magno numero ejuſmodi imagines in Romanorum villis , atque tablinis ſervarentur . De his ſaepe meminit Cicero *ad Atticum* Lib. 1. ep. 7. *Hermae tui Pentelici cum capitibus aeneis , de quibus ad me ſcripſiſti , jam nunc admodum delectant .* Et Lib. eodem epiſt. 8. *Hermas , de quibus ad me ſcripſiſti , vehementer expecto .* Ex his tria , quantum minuti operis anguſtia patitur , deprehenduntur in hac pereleganti Lucerna ; horridula , brevique

barba, quali cultu ut plurimum Graeca ſimulacra conſpiciuntur. Singulis ſubjecta ſymbola, tibiarum, ſcenicae larvae, citharae, alterum ex epicis, ex comicis alterum, poſtremum ex tragicis forte indicat. Ex quibus pro ſuo quiſque captu principem poteſt aſſerere; dummodo alterum ex his Homero locum tribuamus, cui uni tantum debet litteraria Reſpublica, quantum vix ceteris omnibus, qui e Scriptoribus Graecis nobis ſuperſunt.

XCIII.

GRAECORUM EX CLASSE DESCENSUS.

HOmeri imagines monumenta quaedam Trojani belli ſubſequuntur; & primo quidem occurrit Graecorum e navibus excenſus in Sigeo promontorio, adſtante, atque obſtupente Scamandri fluminis Deo, qui conſueto more humi jacet. De hoc loco Strabo Lib XIII. *Eſt enim ſtatio navium ad Sigeum; prope etiam Scamandri ſunt oſtia* XX. *ab Ilio ſtadiis*. Primam ex Graecorum navibus, quae ad littus appulſa fuerit, Dictes Cretenſis hiſt. *belli Trojani* Lib. II. tradit Proteſilai fuiſſe, qui a Trojanis in ipſo navium appulſu vulneratus interiit. Quum vero Graecorum excenſum illi fruſtra impedire tentaſſent, ac poſtremo fugati fuiſſent, Graeci ſubductas naves, atque in ordine poſitas tuto collocant. Idem refert Ovidius *Met.* XII.

..... *Hectorea primus fataliter haſta*
Proteſilae cadis.

Naves Graecorum haud procul ipſe Scamander intuetur.

CXIV.

GRAECUS EX BIGA PUGNANS.

BIgae inſtans alter e Graecis ducibus in bellum procedit. Clypeus illi ingens, atque rotundus ex iis eſt, quos Argolicos vocant, quibuſque bello Trojano depugnatum eſt, ut probavit Cl. Blanchinus in notis ad monu-

numenta Civitatis Urbini Cap. x. Eo etiam ſcutorum genere Etruſcos uſos fuiſſe conſtat ex toreumatis earum gentium, in quibus certamina tali armatura pugnantur.

Lancea praegrandi cuſpide inſtructa manifeſte apparet. Tales Rutulorum haſtas fuiſſe deſcribit Virgilius *Aen.* XII.

. . . . . bigis it Turnus in albis
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.

Heroas autem e biga pugnaſſe, non vero ex equo, ſatis ſuperque ex Homero conſtat, quanquam Quintus Smirneus Παραλειπ. A. dicat Pentheſileam in eo bello ex equo pugnaſſe, unde ab Achille ſauciata dejecta fuit.

XCV.

HEROS CUM NIMBO IN BIGA.

ELegantiſſimum hoc marmoreum toreuma, pedum quatuor altitudine, eximii artificis opus elaboratiſſimum, fragmentum eſt ingentis urnae, quod, in agro Calibanenſi ſecundo ab hinc lapide effoſſum, diu in Gozzeorum villa aſſervatum eſt, unde domum meam jam decennium conceſſit. Heroem refert Graeco cultu, atque armis inſtructum, & ocreatum, quales deſcribit Graecos Homerus, a quo illi frequenter εὐκνήμιδες, *bene ocreati* appellantur. Quod autem in eo animadverſione digniſſimum eſt, ambit Herois caput circulus quidam (quem nimbum vocant) minime dubius, aut obſcurus, ſed exſtans, & ſatis conſpicuus, quo ejus divinitatem ſculptor ſtuduit explicare.

Nimbus iſte non ex velo conſtat, ut ille, quem in capite Scamandri fluminis animadvertit Fabrettus *ad tab. Iliac.* num. 58. & cap. IX. *Columnae Trajanae* pag. 303., ſed ſolidus, & ubique aequalis, ut ipſum ex capite egrediens jubar explicaret. Hoc divinitatis inſigne ſaepius memoravit Servius, ut *Aeneidos* II. v. 615. & *Aeneidos* III. v. 587. ubi illud nuncupavit *lucem divinam, & fulgidum lumen, quo Deorum capita cinguntur*. Quod etiam Imperatoribus, & Regibus attributum dicit *Aeneidos* III. v. 585. *Proprie nimbus eſt, quo Deorum*, vel *Imperantium*

tium capita , quaſi clara nebula , ambire fingitur .

A veritate fortaſſe non aberraverim, ſi hic Achillem Hectora raptantem expreſſum fuiſſe dixero ; non enim aſpicit ante, quod pugnantum eſt, ſed retrorſum ſeſe convertit, quo defuncto cadaveri, & Priamo e Trojae moenibus ſpectanti illuderet , dum illud circa Patrocli tumulum raptaret . Ita fere expreſſus eſt idem Achilles curriculo inſidens in illo celeberrimo anaglypho , quod in ambone Araecaeli incluſum eſt, quod pariter vulgavit laudatus Fabrettus.

Sane Achilli nimbus attributus eſt , propterea quod Deae filius erat . Hinc Juno apud Homerum *Iliados* ω .

. . . . . *ceterum Achilles eſt Deae proles* :

atque idem Homerus illum frequenter appellat *Divum* ; eoque mortuo templum illi , & ſacra in Sigeo conſtituta ſunt , ut tradit Strabo . Servius quoque *Aeneid.* III. v. 332. ait : *Pyrrhus occiſo patre in templo Apollinis Tymbraei , reverſus ad Patriam in numinis inſultationem in templo ejus Delphico aras patri conſtituit , & illic ei caepit ſacrificare :* In Leuce praeterea Euxini inſula , quae Achilli ſacra erat, ejus delubrum , & ſimulacrum memorat Pauſanias *in Laconicis* . Alterum ejuſdem templum inter Spartam , & Arcadiae fines refert ibidem , quod recludi religio vetabat . Alterum porro ejus templum fuiſſe prope Braſias narrat eodem libro , ubi ſolemnes ludos in ejus honorem fieri ſolitos tradit : *in Corinthiacis* vero divinos eidem honores attributos apud Poemenaeos recenſet. Demum ait a puberibus , qui in plataneum pugnaturi deſcendebant , Achilli ante pugnam rem divinam fieri ; ejus denique apotheoſin obſervamus apud Q. Smyrnaeum Παραλειπ. Δ. v. 695. ubi Neptunus Thetidem his verbis alloquitur :

Non enim hic cum Manibus inferis , ſed cum Diis deget,
Sed mox ad lucidas caeli ſedes evehetur .
Atque ego ipſe muneris loco caram Diis inſulam tradam
Ad Pontum Euxinum , ubi pro Deo habebitur perpetuo.

XCVI.

GRAECI, ET TROJANI PUGNANTES.

GRaecus, & Trojanus in hac Lucerna pugnantes ex vario ſuae gentis cultu dignoſcuntur : nam Graecus inſigni galea protectus eſt ; Trojanus vero pileo Phrygio, quem etiam inter pugnandum geſtaſſe, vel ex hoc uno monimento colligimus. Fortaſſe aere, vel ferro tunc conſtabat, ac retorto in anticam partem apice pileum paganicum ſimulabat, ut etiam in bello illud inſigne retinerent, quod ideo forſitan ipſis auguſtum erat, ac boni ominis, quia illo Atys patrius Deus ornari conſueviſſet. Hanc galeae formam, quae Phrygium pileum imitatur, in Italicis nummis frequenter obſervamus.

XCVII.

PENTHESILEA DEFICIENS.

AD belli Trojani hiſtoriam pertinet Pentheſileae fatum, quod graphice deſcribit Quintus Smyrnaeus Παραλειπ. A.

Grandem e manu bipennem dimittit, noxque ei circum
Oculos tenebris inhorreſcit, & pectus.....
Compoſite cadens ad terram, nec pudor
Formoſum corpus dedecorat.

Jacet ſub pedibus vacua caſſis, quam ab ipſa jam mortua detraxit Achilles : Ita idem auctor.

Eique de capite detraxit caſſidem micantem.

Pone vero gladius, quem jam vulnerata, & deficiens educere cogitabat, ne ab Achille iterum confoderetur.

Ergo deliberavit utrum manu educto ingenti gladio
Expectaret rapidi Achillis impetum venientis.

Trojanorum legatus ex iis, qui ad repetendum illius cadaver ad Graecos miſſi fuerant a Priamo, Phrygio habitu inſignis defunctae cadaver a terra elevat. Ita idem Poeta circa libri finem.

Cae-

Caeterum miſericordia proſequuti illuſtrem Pentheſileam
Imperatores Atridae, quam & ipſi demirabantur,
Trojanis reddiderunt ad urbem magnifici Ilii auferendam
Cum armis ſuis, quum de Priami voluntate cognoviſſent
Legationem mittentis; is enim animo ſuo deſtinarat
Puellam magnanimam una cum armis, & equo
In magnificum opulenti Laomedontis tumulum inferre etc.

Hoc toreuma, quod Quinti narrationi omnino reſpondet, diſcrepat aliquantum a Panaei pictura, quam in cancellis templi Jovis Elei deſcribit Pauſanias *Eliac.* prior. *Pentheſilea animam agens, eam ſuſtinente Achille.* Certe hic, non Graecus, ſed Phrygius homo repraeſentatur. Neuter tamen pictorum erravit. Panaeus quidem Achillem inducit Amazonem ſuſtinentem, quum pietate, & amore commotus ejus morte contriſtatus eſt. Ita Quintus *loco citato.*

..... *At Pelei filius valde contriſtabatur*
Delectabilem puellae ſpeciem in pulvere contuens.

Sigillator vero noſter Pentheſileam a Trojano Legato elatam refert.

XCVIII.

DIOMEDES, ET ULISSES DE PALLADIO DISCEPTANTES.

PAlladii furtum a Diomede, & Uliſſe patratum deſcribit Virgilius *Aeneid.* II. v. 163.

..... *impius ex quo*
Tydides ſed enim, ſcelerumque inventor Ulixes
Fatale adgreſſi ſacrato avellere templo
Palladium, caeſis ſummae cuſtodibus arcis,
Corripuere ſacram effigiem, manibuſque cruentis
Virgineas auſi divae contingere vittas.

Diomedes repraeſentatur hic, qualis in antiquis gemmis ſaepius exprimitur, ſtricto gladio, quaſi pro Palladio dimicans. Uliſſes vero, qui cogitabundus coram adſtat, fabellae forte alludit, quam ex Allatio narrat Fabrettus *ad tabul. Iliad.* 365. de ſubdolo Uliſſis auſu, qui,

ſocio

ſocio peremto, ſe magni ejus facinoris auctorem oſtentare meditabatur, quo tamen a Diomede cognito, gladio educto, ſocii dolum eluſit.

XCIX.

HEROS PALLADI SACRIFICANS.

GRaecus Heros in hac Lucerna Palladi ſacra facit, ſtatuta coram diota, quae cum apos ſit, humili tripodi infixa ſuſtinetur. De hoc peculiari inſtrumento ad hujuſcemodi vaſa conſtituenda pluribus egit Cl. Gorius in praefatione ad Inſcriptiones Donianas pag. 82., & pag. 88., & 89. ubi tripodes hos ex ligno, auro, & argento factos refert. Unum ex iis adhuc exſtantem conſumatiſſimi operis ex marmore vidi Romae, pene neglectum in villa Peretta. Ratio, cur haec vaſa inferne acuminata fingerentur, ea fuit, ut ita facilius humi in ſcobe defixa conſiſterent. Alia tamen ex religione petita ratio in cauſſa fuit, cur eo modo terminarentur; quum enim frequenter haec vaſa in ſacrificiis, ut in hac Lucerna, adhiberi ſolerent, ita inferne acuebantur, ut inter ſacra terram minime contingerent. Ita Gyraldus *Syntag. Deor.* XVII. qui poſtquam retulit Romanos in ſacris aqua fontis Juturnae, ſicut Athenienſes Callirhoe, uſos fuiſſe; eam vero aquam ſuper terram poſuiſſe piaculum, & triſte omen eſſe; ideo vas lato ore, & fundo anguſto, in quo hauriretur, ne ſtare poſſet in ſacris, adhibitum fuiſſe tradit: quod vas Donatus, & Servius II. *Aeneid. futile* vocant, & Lactantius *in Thebaid. Futile, vas eſt quoddam, lato ore, fundo anguſto, quo utebantur in ſacris Deae Veſtae, quia aqua ad ſacra in terra non ponebatur, quod ſi factum eſſet, piaculum erat.*

C.

ULYSSES VENTOS INCLUDENS.

REfertur hic ea fabella, quam Homerus *Odiſs.* K. recenſet de Ulyſſe ad Aeoliam appulſo, quo in loco, ab Aeolo ventorum Rege hoſpitaliter exceptus, adverſos ſuae navigationi ventos utre incluſos accepit.

Sed quando certe ego iter poſtulabam, atque admonebam
Dimittere, nihil quidquam ille abnuit, paravit autem
deductionem,
Dedit autem mihi excoriatum utrem bovis novennis,
In quo procelloſorum ventorum ligavit flatus.
Illum enim promum ventorum fecit Saturnius,
Aut quidem mulcere, aut tollere quemcumque velit.
Nave in cava alligavit funiculo ſplendido
Argenteo, ut non quidquã praeterflaret, ne paululum quidem.

C I.

ORESTES FURIIS AGITATUS.

OReſtes hic repraeſentatur, ſtricto gladio, poſt matris Clytemneſtrae, & Aegiſthi ejus proci caedem a Furiis apprehenſus, & exagitatus, quarum quidem cruciatus non prius evaſit, quam in Areopago indicto die abſolutus, atque expiatus fuit. Alii tamen ejus caſum aliter ſcribunt; qua de re videri poſſunt Euripides *in Oreſte*, & Servius *Aeneid.* II. v. 116. Sane improprie a Furiis Oreſtem exagitatum tradunt Poetae, quos inter Virgilius *Aeneid.* III. 331.

..... ſcelerum Furiis agitatus Oreſtes;

quum proprie Dirarum officium hoc eſſet, quae duae numero erant, quot in hac Lucerna referuntur: niſi mavis Furiarum nomen generale eſſe, atque triplex illud genus Dearum ultricium continere, caeleſtium nempe, quae Dirae; terreſtrium, quae Erinnyes; infernarum denique, quae

Eume-

Eumenides appellantur, uti tradit Servius in III. IV., & XII. *Aeneidos* : quod etiam dudum docuerat Cicero III. *de Natura Deorum. In terris Furiae, in caelo Dirae, apud Inferos Eumenides*. Caeleſtes vero duas eſſe tradidit Virgilius praedicto Lib. XII. v. 845.

Dicuntur geminae peſtes cognomine Dirae,
Quas & Tartaream Nox intempeſta Megaeram
Uno eodemque tulit partu, paribuſque revinxit
Serpentum ſpiris, ventoſaſque addidit alas.
Hae Jovis ad ſolium, ſaevique in limine regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus aegris.

Oreſtis fata Romanae religioni neque aliena, neque fuerunt peregrina. Habuit quanquam Graecus quod conferret Romanae magnitudini, & Phrygum poſteri conſervationem ſuam Agamemnonis filio ſe debere profitebantur, quippe illius oſſa *Aritia Romam translata ſunt, & condita ante templum Saturni, quod eſt ante clivum Capitolinum juxta Concordiae templum*; uti Servius tradit *Aeneid.* II. v. 116. Rurſus vero Lib. VII. v. 188. ejus cineres ſcribit inter Romani Imperii pignora fuiſſe habitos. *Septem fuerunt paria, quae Romanum Imperium tenerent. acus matris Deum; quadriga fictilis Vejorum; cineres Oreſtis; ſceptrum Priami; velum Ilionae; Palladium; ancilia*. Haec tamen Romanae fortunae vadimonia in eo ambitu Romae quadratae, quae in Palatino erat, in ſumma ſacra via poſt Titi arcum ſervata fuiſſe contendit Cl. Blanchinius in notis ad *Palat. Caeſar.* . Doctiſſimi viri ſententia teſtimonio etiam Varronis de L. L. Lib. IV. fulciri poſſet. *Cum Coelio conjunctae Carinae, ſed inter eas, quem locum Cerolienſem appellatum apparet, quod primae regionis quartum ſacrarium ſcriptum ſic eſt. Cerolienſis quarticeps circa Minervium: qua in Coelium montem itur, in tabernola eſt. Cerolienſis a carinarum junctu dictus Carinae: poſtea Cerionia, quod hinc oritur caput ſacrae viae*. Ceronius vero ab antiqua voce Cerus dictus eſt quae in veteri Italica lingua *Sacrum* ſignificabat, ut in *Acherontico* comprobavi. Sed Oreſtis cineres me in Palatium abduxerunt, ubi memoria ruderum Auguſtalium, quae me quadriennio fere tanta cum voluptate

detinuerunt, propoſitum argumentum pene ex animo deturbaverant.

Peculiari obſervatione digna eſt Lucernae hujus ſubſcriptio, quae non tantum eo caracteris genere, quod nunc *corſivo* appellant, ſed nexibus etiam adhibitis, quibus literae literis haerent, obſignata eſt. Adeo verum eſt, moris hujus originem ab ipſis veterum Romanorum temporibus repetendam eſſe.

CII.

THESEI CUM EURYTO PUGNA.

PErcelebris eſt Centaurorum cum Lapithis rixa, quae in Pirithoi, & Hippodamiae nuptiis contigit: quum enim vino ferinum illud genus incaluiſſet, unus ex his Eurytus in novam nuptam impudenter impetum fecit; at a Theſeo cum ceteris Lapitharum repulſi Centauri, pene omnes interemti ſunt. Sic ille apud Ovidium *Met.* XII. v. 227.

> ..... *quae te vecordia, Theſeus,*
> *Euryte, pulſat, ait; qui me vivente laceſſas*
> *Pirithoum?*

Hoc Theſei facinus in ejus templo depictum deſcribit. Pauſanias *in Achaicis. Pugna erat Centaurorum, & Lapitharum, ubi Theſeus Centaurum occidens ſpectabatur.* Quam tamen pugnam alibi caelatam referens Lib. v. ait: *Theſeum bipenni Centauros obtruncaſſe.*

CIII.

HEROS CUM MULIERE DISSERENS.

FOrtaſſe fabula, quae hic notatur ad Ulyſſem pertinet, quum naufragus, atque nudus in Scheriae litore a Nauſicaa proditus, cum illa colloquium habuit, atque ipſam Patris ſui Alcinoi aedes deſcribentem obſervabat. Sic Homerus *Odyſſ.* Z. Uliſſes feſſus columnae innixus eſt.

Graeci

Graeci quidem, & Phaeaces columellas in hunc uſum aptas habebant. Itaque ibidem Nauſicaa matris ſuae exercitia deſcribens ait:

Penſum verſat purpureum, mirabile viſu,
Columnae recumbens.

Lira, quae e columella dependet, ad Nauſicaam pertinet, quae paulo ante, quam Uliſſem deprehenderet,

..... incoepit cantilenam,

ut ibidem tradit Homerus.

CIV.

OEDIPUS CUM SPHINGE.

OEdipi aenigma Sphingis ſolventis tabulam recitat Apollodorus *Bibl.* L. 3. p. 99. cujus locum pro Lucernae noſtrae illuſtratione exſcripſiſſe ſufficiat. *Juno Sphingem ex Echidna, & Typhone parentibus ortam immiſit. Haec muliebri facie, pectore, pedibuſque, ac cauda leonis, & avis pennis praedita fuit. Quae quum a Muſis aenigmata didiciſſet in Phyceo monte conſedit: de quibus id unum Thebanis proponere ſolebat, quod eſt huiusmodi; quodnam eſſet id animal, quod una habet vocem, & quadrupes, bipes, ac demum tripes naſcitur. Ad haec Thebanis oraculo renuntiatum fuerat, jam tum Sphingis incommodo, ac detrimento liberos fore, quandoque id aenigmatum, vel in unum ſaepe numero coeuntes, ſolviſſent. Quid illud eſſet quaerebat; quod, quum minime reperirent, abreptum ex omnibus, unum devorabat: eaque de cauſſa plerique ſubinde peribant. Ac poſtremo ad eum modum Aemone Creontis filio perempto Creon aenigma homini ſoluturo, & regnum, & Laii uxorem ſe traditurum praeconis voce renuntiari jubet. Quod ubi ad Oedipi aures pervenit, ipſe ita ſolvit, quod a Sphinge proponitur, aenigma: hominem eſſe ait; naſcitur enim quadrupes infans, quod quatuor gradatur membris, grandior autem effectus homo, bipes eſſe incipit; ſeneſcens vero, ac demum tertio aſſumto pede, ideſt ſcipione, tripes dici poteſt. Ipſa igitur Sphinx ex arce ſeſe praecipitem dedit, Oedipus idem regnum accipit.*

Sphin-

Sphingem marmoream eximii operis, & molis aſſervamus in noſtro Muſeo. In qua obſervatione digna eſt armilla, qua collum exornatur, ex balauſtiis efformata, qualem Dianae quoque Epheſiae veteres attribuerunt. Aſſervabatur iſta in cavedio nobilium Santinelliorum, una cum tigride illa marmorea, quam ex Bacchei ruinis erutam demonſtravit praeclariſſimus Oliverius meus in notis ad *Marmora Piſaurenſia*. Credibile eſt Sphingis etiam ſimulacrum ex ejuſdem templi ruderibus prodiiſſe, quum inter donaria Diis offerri ſolita, etiam monſtrorum imagines exſtitiſſe comprobent chimaera, griphus, & alia hujuſmodi ſimulacra, quae adjecta dedicationis nota Etruſcis literis exarata inter pretioſiora antiquitatis monumenta computantur. Erant praeterea monſtra haec divino ſanguine progenita, praeſertim Sphinx quae ex Orthro & Chimaera progenita genus ſuum a Tartaro deducebat.

Utinam tot alia antiquae Piſaurenſis magnificentiae monumenta, quae feſtinanter nimis e terra prodierunt, tempora tua expectaſſent FRIDERICE Princeps ampliſſime; non enim doleremus tantam ſcriptorum Marmorum copiam in ipſis murorum ſubſtructionibus tumultuario opere congeſtam, aeternum periiſſe; credo enim regalem illum Genium tuum qui publico literarum bono natus eſt, eximia illa veteris magnitudinis noſtrae teſtimonia fuiſſe exceptorum iiſdem munificentiae ſubſidiis, quibus humilem hanc teſtarum ſupellectilem confoviſti. Si tamen majora interierunt, utantur ſaltem clementia tua, quae prodeunt etate noſtra, atque laetentur in tua tempora incidiſſe.

IN-

INDEX RERUM.

Numeri Romani praefationis paginas indicant; arabici vero notarum.

A

Achilles 62.
Ejus templa. *ibid.*
Adorandi mos antiquiſſimus. IV.
Aeſculapio ſacer ſerpens. 44.
Aeſculapius ſiniſtram opertam habet. 45.
Ampelus Bacchi miniſter. 34.
Apollinis Genius. IX.
Ara maxima. 6.
Arae duę in ſacris plurium Deorum. IV.
Aris ſerta ſuſpendi ſolita. 55.
Arietarius. 25.
Aries quomodo ageretur. 26.
Auguſti noſtri appellatio quando in uſu eſſe cæpit. 54.

B

Bacchans. 33.
Bacchi coniux; illius nomen. 33.
Orgia V. Orgia.
Pompa. 34.
Symbola. 38.
Tropaeum. 36.
Baccho capra ſacra. 36.
Larvæ tributæ. 37.
Bacchus ακρατοφορος. 31.
Αὐξιτης. 32.
Corniger; cur ita effictus. 30.
Lenaeus. 33.
Nictelius. 31.
Phauſterius. 31.
Bullae fictiles; earum uſus. 38.

C

Calathus ſtatuis cur additus. 39.
Callirhoes fons. 63.
Capra ſacra Baccho. 37.
Capricornus. 48.
Carthaginis nomen & etymon. 22.
Symbola. *ibid.*
Centaurorum cum Lapithis pugna. 68.
Centurio. 27.
Cenſio equitum differebat a tranſvectione. 25.
Cereri tributus calathus. 3. 4.
Ceriolaria. II.
Ceronius Cerus. 67.
Clypei Argolici rotundi. 60.
Iis etiam Etruſci uſi. 61.
Poſiti in honorem clarorum virorum. 51.
Columbae Veneri ſacræ. 16.
Concha mortis ſymbolum. 13.
Veneri ſacra. *ibid.*
Comi vera imago. 42.
Cornu potorium Etruſcum. II.
Coronæ gemmatæ. I.
Ingentis magnitudinis ad oſtentationem. 54.
Crepalocomus quid. 42.
Cupidini ſacer Lepus. 16.
Cupidinis imago. 17.
Et Pſyches nuptiæ, mortis ſymbolum. *ibid.*
Cybeles duas aras habuit in ſacris. IV.
Cyclopes; eorum nomina. 29.

D

Diana mater. V.
Dii gigantæa ſtatura. 48.
Diomedes, & Ulyſſes Palladium furantur. 64.
Diotae tripodi impoſitae. 65.
Cur acuminatæ fingerentur. *ibid.*
Dirae. 67.

E

Ephippii uſus quando cæperit. 23.
Epulones. 46.
Equitum cenſio & tranſvectio. 24. 25.
Etruſca Lucerna in agro Tuderte inventa. 11.
Etruſci uſi clypeis rotundis. 61.

F

Fata. 43.
Fauni. 35.
Fauſtæ precationes. IV. V. 58.
Figlinæ Piſaurenſes. VI. VII.
Fortuna. 42.
Furiæ nomen quam late pateat. 66.
Futile vas. 65.

G

Gabinus cinctus. VII.
Genius ſub ſerpentis ſpecie cultus. 43.
Apollinis. IX.
Bacchi. 32.
Deorum; nudi ſacrificant. 3.
Domeſticus. 41.
Etruſci operis. 30.
Exercitus. 21.
Herculis. 11.
Martis. 21.

Graecorum ad Trojam appulſus. 60.

H

Hercules duplici gemmato diademate. I.
Evandrum literas docuit. 9.
Oſcillorum inventor. 2.
Muſagetes. 9.
Μυλων cur ita dictus. II.
Herculi nudo capite ſacra fiebant. 5. 7.
Sacra laurus. 2.
Herculis cultus apud Sicyonios. 7.
Expiationes. 3. 4.
Genius. II.
Simulacrum hermeum. 10.
Templum. 9.
Tropaeum. 10.
Hermae cur ita efficti. 10.
Hermea ſimulacra virorum illuſtrium. 59.
Heros ſacrificans. 65.
Heroes ex biga pugnabant, 61.
Herois caput nimbo circumdatum. 67.
Homerus divinitate donatus. 58.
Homeri poemata quando edita. 59.
Hygia. 44. 45.

I

Ilithyia. IX. 47.
Inferiae. VII.
Juppiter Cenaeus. 7.
Inventor. 8.
Victor. VII. 8.
Jovi obteſtricatur Mercurius, vel Vulcanus. VIII
Triton junctus. *ibid.*
Jovis Elci templum. 64.
Juturnae fons. 65.
Juvalitia Etruſcorum. 45.

L

Lapitharum & Centaurorum pugna. 68.
Laternae operculum. II.
Larvae ſcenicae. 37.
Lauri folia pro ſtrenis data. V.
Laurus ſacra Herculi, & cur. 3. 6.
Lectiſternia. 45.
Lenae quid ſint. 33.
Lepus Cupidini ſacer. 16.
Lucerna Etruſca. II.
Lucernae marmoreae an fuerint. III.
Lucernarum ſubſcriptio. IV.
Tripodes. II.
In ſepulchris uſus. 17.
Lucernis in triumphis Urbs illuminabatur. 56. 57.
In votis Imperatorum. 52.
Lucina. 47.
Lupus Marti ſacer. 19.
Illius victus contra maleficia. *ibid*
Lycurgus ex Jonia Homeri opera attulit in Graeciam. 59.

M

Mars armatus. 28.
Gradivus, cur ita dictus. 19.
Marti ſacer Lupus. 19.
Martis ſymbola. 21.
Mercurius Jovi obteſtricatur. VIII.
Minerva Alcide. 9.
Monſtrorum animae in inferno vivunt. 6. 21.

N

Nimbus quid. 61.
Achilli tributus. 62.
Nuptiarum die coronabantur januae. 16.
Spargebantur nuces. 17.

O

Oedipus ſphyngis aenigma ſolvit. 69.
Oreſtis furiae, & expiatio. 67.
Oſſa Romae ſervata, & ubi. 67.
Orgia Bacchi. 31. 34. 36. 38. 40.
Oſcilla; eorum uſus in expiationibus. 2.
Bacchica. 37.

P

Palladii furtum. 64.
Palmaris Dea cur dicta Victoria. 49.
Paridis judicium. 15.
Paſſerii Acheronticum. II. 20. 67.
Roncallienſes. IX. 22.
Pentheſileae fatum. 63.
Pes Iſidi ſacer. 47.
Etiam Saluti. 47.
Pileus Phrigius Trojanis pro galea. 63.
Obſervatur etiam in Italicis nummis. *ibid.*
Vulcani quid ſignificet. 29.
Piſaurenſes figulinae. VI. VII.
Piſaurenſium Sacer Lucus. 15. 47.
Piſauri Principes Sfortiadae. 26.
Piſiſtratus Homeri poema edidit. 59.
Pocillatores vulgo dicti quid ſint. 41.
Pomona. 38.
Priapus. 40.
Proteſilaus primus ad Trojam. 60.
Pupae Veneri donatae quid fuerint. 15.

R

Romulus conditor. 19.
Rudiarius. 28.

S

Sacrificabant Romani velato capite, & cur. 5.
Aperto vero Herculi, & Saturno. *ibid.*
Sacrificantes Romani aqua Juturnae fontis utebantur. 65.
Athenienſes fontis Callirhoes. *ibid.*
Sacrificant nudi deorum Genii. 3.
Heroes Seminudi. 5.
Sacrificaturi prius ſe lavabant. 4.
Salus ab Etruſcis Juvalitia dicta. 45.
Saturno nudo capite ſacra fiebant. 5.
Satyri. 35. 36. 40.
Scamandri imago. 60.
Scipio eburneus. 28.
Scutum coriaceum. 24.

Ser-

Serpens divinitatis ſymbolum. 43.
Saluti & Aeſculapio tributus. 44.
Sileni. 36.
Simulacra antiquiſſima. IX.
Sphingis marmoreæ ſimulacrum. 70.
Strenæ. IV.
Inter eas lauri folia. V.

T

Teleſphorus. 45.
Terminalia. 40.
Theſeus. 68.
Thuris adolendi forma. 56.
Tranſvectio equitum & cenſio male confunduntur. 25.
Tripodes diotis ſuppoſiti. 65.
Lucernis ſuppoſiti. II.
Triton Jovi junctus. VIII.
In martis caſſide. 21.
In Palladis galea. VIII.
Triumphi etymon. 57.
Solemnitas in operibus etiam fictilibus expreſſa. 51.
Tropaea. 55. 56.

V

Venus ab Horis coronata. 12.
Concha excepta. 13.
Lavatur pluries. 14.
Veneri columbae ſacrae. 16.
Donabantur pupae a nupturis. 14.
Veneris ſymbola. 16.
Veſta duplex. VI.
C. Vibii Triboniani Aug. L. villa. IX.
Victoria. 48.
Anni novi auſpicium. 50.
Trajani. 51.
Palmaris Dea dicta. 46.
Sacrificans. 56.
Quo modo pingebatur. 51. 55.
Vitis centurionatus inſigne ab Etruſcis ſumta. 27.
Vitra quomodo pingerentur. 53.
Vitrum operis admirabilis. 56.
Ulyſſes & Diomedes Palladium ſurripiunt. 64.
Ventos utribus includit. 66.
Cum Nauſicaa colloquitur. 68.
Votorum quinquennalium & decennalium origo. 52.
Vulcani ſymbola. 28.
Vulcanus Jovi obteſtricatur. VIII.

1550-447

